BALSAMI, OPOBALSAMI, CARPOBALSAMI, & XYLOBALSAMI, cum ſuo CORTICE EXPLANATIO.

Interprete & Auctore MATTHIA de L'OBEL, *Medico Inſulano, Gallo-Belga.*

Ad Clariſsimum & Honoratiſsimum Dominum D. GEORGIVM CAREYVM, Baronem de *Hunſdon*, Nobiliſſimi Ordinis Periſcelidis Equitem auratum, Sacri Cubiculi Præfectum, Regiæ Maieſtati à ſanctioribus *Conſilijs, & Vectis Inſulæ Adminiſtratorem.*

Londini excudebat Arnoldus Hatfield, impenſis Ioannis Norton.
1598.

MVSEVM
BRITAN
NICVM

CLARISSIMO ET HONORIFICENTISSIMO DOMINO, D. GEORGIO CAREYO, *Baroni de Hunſdon, Nobiliſſimi Ordinis Periſcelidis Equiti aurato, Sacri Cubiculi Præfecto, Regiæ Maieſtati à ſanctioribus Conſilijs, & Vectis Inſulæ Adminiſtratori.*

VM me in ANGLIAM denuò contuliſſē, (honoratiſſime Domine) peritos, rariorumq; Naturæ myſteriorum admiratores conſulturus, expiſcaturúſque, oculis perluſtraturus & exploraturus agros, ſyluas, colles, montes, Britannici maris litora, flumina, fontes, riuulos, paludes & ripas; rurſuſq; omiſſarum plantarum in noſtris Stirpium Aduerſarijs & Obſeruationibus, aliorumq; ſcriptis, vltimum & extremum ante obitum Spicilegium facturus, noſtraſq; lucubrationes collocupletaturus; primus author fuiſti qui me prouocaueris vt Balſami hiſtoriam diligenter excuterem & explicarem. Certiſſima quippe tuæ humanitatis & munifici candoris argumenta fuerunt, cùm eximiæ ſuauitatis Carpobalſamum mihi communicaueris; cuius peregrina elegantia & dotes inſignes me maximè ſtimularunt ad celeberrimi & nobiliſſimi priſcorum Balſami, Opobalſami, Carpobalſa-

mi & Xylobalſami, hodiè penè ignoti, diſcriminis & controuerſiæ pleni, in Reipublicæ vtilitatem explanationes in lucem prodendas & proſequendas, quas (quia iure tibi debentur, debeoq; memetipſum, dum recolo quanta me complexus beneuolentia) propenſo humilique animo, tanquam optimarum artium & virtutum fautori, nuncupo. Eas ſi gratas eſſe intellexero; dabo operam, vt his nonnulla non pœnitenda, ſtudioſiſque gratiſſima, accedant. Deus Optimus Maximus tuam Præſtantiam diutiſſimè ſeruet incolumem, omnique rerum tuarum fœlicem concedat ſucceſſum, vitamq; ad viuidam viridemque producat ſenectam. Londini ipſis calendis Decembris Anno ſalutis 1597.

GVILIELMVS MOVNT olim Medicinæ ſtudioſus, nunc Sacræ Theologiæ Profeſſor Ptochotrophij ſiue Hoſpitalis SABAVDIAE Londinenſis, vulgò de SAVOY Magiſter: amiciſſimo ſuo D. L'OBELIO in re Medica Doct. peritiſs. & in Simplicium examine bene merito. S.

EST tua percelebris digniſſima fama L'OBELLI,
Digna tuis meritis viuere fama diu.
Arte potens Medicus, præſertim Simplicis vſu,
In quo vix vllus doctior eſſe poteſt.
Pluribus es Doctor peregrinis notus in oris;
Cum primis Medicis laus tua clara manet.
Dulcia prudenti tractaſti Balſama cura,
Iſte liquor tuus eſt, & labor ille tuus.
Tu formam, Medicina modum, quos fecerit vſus,
Et vires, docta cum breuitate doces.
Viue diu, valeaſq; diu, tua penna diuq;
Nos doceat quæ ſint viuere digna diu.

In Tractatum eruditiſſimum de Balſamo D. MATTHIAE de L'OBEL Medici ac Botanicorum pharmacorum peritiſſimi, Epigramma.

LIS Anglos *inter*, Belgáſque *eſt orta*, L'Obellum
Vtraq; dum Ciuem, *Gens cupit eſſe ſuum.*
Eſt meus Hæc *ortu clamat*, *meus* Altera *Amore*,
Hoſpitio: Is tandem Neutrius *(inquit)* ero,

Com-

Componens litem: Totus mihi Patria Mundus,
Vsibus humanis vita dicata mea est.
Scitè Thessalicas *iunior lustrauerat* Oras,
Balsama *nunc priscis eruit è tenebris.*
Thesaurum antiquis quo nil pretiosius vnus
Effodit, tectas *atque recluſit* Opes.
Quin etiam Plantas *quascunque* Britannia *raras*
Diues alit gremio, sedulus *indigitat.*
Spectandasq; offert Gallis, Flandris *&* Iberis
Cunctis, Pœoniæ *quos tenet* Artis *amor.*
*Macte igitur virtute (*Senex doctissime) *nostra*
Vrbs te non capiat: Tu *decus Orbis eris.*

FRAN: HERING. Med. D.

Eiusdem Distichon.

VT Lampas lucem præbens Mortalibus, ipsam
Se absumit: Studijs sic Philomusa *cohors,*
Dum prosunt alijs, dum publica commoda quærunt,
Se absorbunt miseri. Quis nisi mentis inops
Scriberet, insomnes ageret Noctesq; Dies q;
Vt stulto ingrato consuleret Populo?
Quis nisi mentis inops? Nemo ni spiritus illos
Entheus & plenus Numinis alliceret.
Contemptus quippe est Medicinæ rectior vsus,
Cuncta Magis, Bardis, Empiricisq; scatent.
Det meliora Deus. Tu pergis scribere Doctis
Docte L'OBEL, *& quæ sunt placitura Bonis.*
Atque adeo antiquo quondam qui dixit Abramo,
Ipse tui merces magna laboris ero.
Ille tibi celsa Cœli profundet ab arce
Præmia, quæ nulla sunt peritura die.

BAL-

BALSAMVM, OPOBALSAMVM, CARPOBALSAMVM & XYLOBALSAMVM, cum ſuo CORTICE.

Priſcorum BALSAMVM *Iudaicum & Aegyptium aut Arabicum cum Officinarum Carpobalſamo & Xylobalſamo.*

Carpobalſamum officinarum ſiue Balſami fructus.

BAlſamum Græcis & Latinis vocatum, arbuſculam odoratiſſimam vni terrarũ Iudææ (in valle Hiericontis & Aegypti Memphi ciuitate, quam Cayrum vocant) oriundam Theophraſtus, Dioſcorides, Plinius & nonnulli antiqui affirmant: Hodiè tamen liquidò conſtat, neq; Iudæam neque Aegyptum eſſe Balſami arbuſculæ ſpontaneum, natiuúmque ſolum, ſiue Iudææ & Aegypti indigenam, ſed inquilinam factam; cuius quippe olim multæ plantæ è Mecha, Arabiæ fœlicis opidò in Aegyptum tranſlatæ. Quamuis multi hodie Græcorũ Balſamum nuſpiam in naturæ ditione extare ſuſpicati ſint; quod mutilè & variè literis à Græcis prodatur. Dioſcoridem monuimus in noſtris

Aduersarys

noſtris ſtirpium, vires meliùs quam ſtirpem notam habuiſſe; eoque ab Aegyptijs potiùs & Arabibus, quàm à Græcis Balſami arboris cognitionem petendam, quibus auditione, non inſpectione viſúque agnitam fuiſſe veriſimile eſt, vt ex varia à varijs ſcriptoribus hiſtoria colligere quiſque poteſt; de qua hìc aliquid diſſerere operæ-prætium duximus; quia eius partes *Opobalſamum*, *Carpobalſamum* & *Xylobalſamum* cum ſuo *Cortice* in nobiliſſima antidota recipiuntur, quæ tam pretioſa olim & rara fuêre, vt pondus duplo rependeretur argento, Theophraſto, Dioſcoride & Plinio teſtibus. Non inter eos qui de materia Medica & Coſmographia ſcripſerunt ſatis cõuenit de Balſamo. Alij arbori modicæ, alij Viti, alij Myrto, alij Terebintho, alij Piceæ humili, alij Lycio, alij Cytiſo, alij Leucoïo, alij Punicæ malo aſſimilarunt: quid certi ſtatuere poſſemus in tanta rerum ambigua diuerſitate arduum eſt: non verebimur tamen quæ ex melioribus claſsicis authoribus præceptore Rondelletio in Monſpelienſi ſchola alijſq; peritiſsimis noſtri æui viris olim collegimus, in medium adferre.

Balſamum omnes in Iudæa prouenire vno ore affirmant. Plinius vni terrarum Iudææ Balſamum conceſſum prodit, qui eius deſcriptionem ex Theophraſto & Dioſcoride quadamtenus mutuatus videtur: *Quondam* (inquit) *in duobus tantùm hortis, vtroq; regio; altero iugerum viginti, non amplius; altero paucior um.* Strabo id aſſerit dum ait, *Hiericus eſt campus à montana quadam regione circundatus, qui in theatri ſpeciem ad ipſum declinat. Hoc in loco eſt Palmetum Palmis abundans, ſpatio centum ſtadiorum, & totum irriguum & habitationibus plenum, vbi & regia eſt, & Balſami viridarium. Arbor eſt odorata ſiue aromatica & fruticoſa, Cytiſo & Terebintho perſimilis. Eius corticem ſcindentes aut vulnerantes, ſuccum in vaſis ſuſcipiunt, tenaci lacti perſimilem; ſuſceptus autem in conchis coagulatur. Is capitis dolores & ſuffuſiones oculorum incipientes & hebetudinem mirificè ſoluit; quare pretioſus liquor eſt &c.* Alibi etiã naſci tradit Balſamũ, cùm ſcribit: *Et apud Sabæos Thus & Myrrha & Cinamomũ naſcitur; in ora etiam Balſamũ, & quædã alia planta odorata.*

Ex

Ex Dioſcoridis lectione, an Balſamum arbor ſit, aut frutex ambigitur. *Balſamum* (inquit) *arbor eſt magnitudine Leucoÿ ſine Violæ albæ, vel Lycÿ, vel Pyxacanthæ.* Non videtur legendum Λευκοῖυ, nam quis herbam vix cubitum vt plurimum ſuperantem Lycio conferret? Lycium ſpinoſus frutex eſt, tricubitalibus ramis aut longioribus; igitur non comparandum Balſamum cum Leucoio: ad hæc Theophraſtus malo Punicæ æqualem facit; (alius Piceæ humili.) Plinio proceritas intra binos cubitos ſubſiſtit; proinde hæc particula Leucoij expungenda videbitur, vel pro Λευκοῖυ κυτίσου legendum; nam Cytiſo comparat Strabo, cùm dicit: *Ibi eſt regia & Balſami viridarium: arbor eſt aromatica & frutico ſa Cytiſo & Terebintho ſimilis; eius corticẽ findentes ſuccum ſuſcipiunt in vaſis.* Quod ſi quærat aliquis, quomodo Cytiſo & Terebintho æquale eſſe poterit? Reſpondemus, Balſamum magnitudine æquale Cytiſo; fructum Terebintho, vel ſi mauis Terebintho ſimilem; non magnæ ſed partiæ æquari poterit: multæ enim ſunt Terebinthi ſpecies. Locus integer erit, ſi quis legat Cytiſo aut Lycio aut Pyxacanthæ, non Pyracanthæ, cuius nulla mentio apud antiquos. In Auicenna *Viſci* legitur pro Λυκιι, vt forſan apud Plinium pro *Vite* legendum *Lycÿ*, vbi ait, *Quippe viti ſimilior quam Myrto*, quod meritò legẽdum videtur; quia Lycio ſimilior quam Viti: quanquam poſſit ſic interpretari, ſi dicamus Balſamum cultu præ ſe ferre Vineã: Balſameta enim ſiue Balſami arboris ſyluæ amputãtur vt Vites & earum more coluntur, vt Iuſtinus annotat Trogi Pompæi hiſtoria fretus, qui eas *Piceæ arbori* (quod mẽdum codicis meritò multi docti ſuſpicantur, quia Picea non eſt Viti ſimilis, neque Vineæ modo colitur) comparauit: dicit autem, *Putantur vt Vites raſtris * niteſcunt; multas virgas mittunt quas tertio aut quinto anno amputant.* Quanquam Viti ſimiliorem quàm Myrto dicit Plinius, & ab alijs malè deſcriptam monet; non tamen Viti ſolio ſimilem facit, quia paulò poſt ſolio Rutæ eſſe aſſerit. Illud idem Theophraſtus literis prodidit; *Folium* (inquit) *Rutæ ſimile: candidum tamen, perpetuò virens*: folia enim Rutæ ſimilia ſunt, præſertim extrema tria.

* alij legunt miteſcunt, ſed perperam.

Pauſanias folia habere *Sampſuchi* ait; id quod Balſamo minimè reclamat, quia foliũ Sampſuchi aut Amaraci ſatis tenue & paruum eſt, inſtar Rutæ, ſed candidius, quem ob candorem Sampſuchi folio comparauit. Ex ſupradictis ſatis patet Balſamum Aegyptium foliis Rutaceis eſſe, præſertim ternis extremis foliolis. Ex recentioribus vir fide dignus, reíque herbariæ peritiſſimus, Mathiolomaſtix Melchior Guilandinus piæ memoriæ, horti-Medici in ſchola Patauina præfectus; Anno-ſalutifero à partu B. Virginis 1563. & 64. nobis illic commorantibus, hæſitabundis & ſuſpenſis in tanta opinionum de Balſamo ambiguitate, aſſertione ſcrupuloſitatem ſoluit, Balſamum ſe vidiſſe inquiens in Syria & Aegypto, *foliis & facie Iaſmini, ſed aſpectu deformem*: qualem iam diu in noſtris ſtirpium Aduerſarijs præcisè dedimus: quæ cum ſuprà traditis, tum mox dicendis ex Petri Bellonij de Balſamo obſeruationibus minimè pugnant: qui *Balſamum foliis viridibus Lentiſcinorum foliorum modo formatis, vtrinq; in neruo natis eſſe ait, vt in Roſarum vel fraxini, vel Iuglandis foliis videre eſt: Ciceris tamen magnitudinem foliorum non excedebant: extremum autem foliolum reliquis maius eſt, facto etenim ab illo progreſſu: reliqua ſenſim minutiora fiunt, vt in Rutæ foliis; quæ deguſtata, facultatis nonnihil adſtrictoriæ eſſe comperimus, pinguiſq; aliquantulum ſaporis atque aromatici: ramulorum autem cortex his odoratior eſt. Gemino cortice præditi ſunt ramuli, extimo foris ſubrubente, qui vt membrana intimum viridem operit. Is guſtatus inter Thus & Terebinthi folium ſapit, Satureiæ ſylueſtri ſapore ſimili, admodum grato atque digitis tritus Cardamomum olet: ipſum lignũ candicat, odoriſq; & ſaporis expers eſt, non ſecus atque aliud inutile lignum. Ipſius virgæ rectæ ſunt & graciles, rariſq; foliorum alis ſparſim & confuſo ordine naſcentibus obſeptæ, quæ ternis, quinis aut ſeptenis foliis conſtant.* Apprimè etiam quadrat cum Bellonij animaduerſionibus Balſami Aegyptij à clariſſimo D. Proſpero Alpino hiſtoria graphicè delineata, quam hic præcisè oratione ſubdam, ne verborũ aceruus & apparatus lectori tædioſus, maior ſit quam res ipſa. *Balſamum* (inquit) *arbuſcula eſt ab Arabia antiquis medi-*

medicis Balessan vocata, quæ crescit ad altitudinem Hannæ vel Cytisi, folia paucissima gerens Rutæ proxima, non tamen ijs candidiora, vt Dioscorides docuerat sed potius colore viridi subalbido perpetuoq; virentia. Eius lignum gummosum leneq; apparet, colore exterius subnigro, cuius ramuli eodem colore conspicui sunt, longi, recti, graciles, paucis foliis inordinatim referti foliaq; simul terna, aut quina, aut septena, alæ adnata, aliquo pacto etiam Lentiscifoliorum æmula. Ramuli odorati sunt, gummosi, digitisq; contrectati eis tenaciter adhærentes. Flores fert paruos albos Acatiæ proximos; ternos, singulis alis appensos, quasi in vmbellæ formam, summè odoratos, à quibus semina promanant flaua, folliculis nigris subrubescentibus contenta, valdè odorata, intusq; humorem flauũ melli persimilem habentia: sapore subamaro parumq; acri, linguam ferentia, Opobalsamumq; redolentia; Terebinthi fructuum figuræ & magnitudinis æmula, extrema aculeata, & medium crassum obtinentia. Horum quilibet trium neotericorum qui nostro æuo Iudæam, Syriam & Aegyptum peragrarunt liberè vno ore, tanquam oculati testes, Balsamum arbusculam esse folijs Rutæ, aut Lentisci, aut Iasmini profitentur; quod minimè Theophrasto, Dioscoridi & Plinio repugnat, aut refragatur.

Hannæ: i. Ligustrum Aegyptijs. Hanis & hènis Arabib Cicer interpretatur Matheus Sylvaticus in Synonymis. Ciceri Guillandinus folium comparauit.

Quinetiam cum à fructibus arborem cognoscere contingat, Balsami fructum, Carpobalsamum vocatum, quale sit sedulò inuestigandum, cùm eo frequenter vtamur, tùm etiam sæpè adulteratum ad nos deuehatur, quod nullo pacto dignosci poterit, nisi legitimi exactissima cognitione habita; cuius fidissimus testis est Theophrastus lib. 9. cap. 6. de historia plantarum; qui fructum Balsami Terebinthi fructui, tam colore & odore, quàm magnitudine æquat. Nec sat est Carpobalsamum nosse, sed etiam operæprecium duximus examinandas & dilucidè diluendas siue declarandas omnes Balsami partes, vt legitimæ à spurijs secernantur, & earundem facultates & energiæ exactissimè comprobentur. Dioscorides *Opobalsamum probat recens, odore firmo aut valido, syncerum, non ad acorem vergens, dilui facile, lene, astringens, ac modicè mordens gustu; laneæ vesti infusum, maculæ vestigium non relinquit; lacti iniectum, ipsum coagulat;* aquæ

Carpobalsamum.

Opobalsami delectus.

aquæ aut lacti immissum celerrimè liquatur, & lactis modo albescit.

Carpobalsami delectus.

Fructum verò mediocriter Opobalsamũ spirantem, flauum plenum, grandem, ponderosum, gustu mordentem, & feruentem in ore.

Opobalsami parandi rationem docet Dioscorides his verbis: *Æstiuis sub ortu canis feruoribus arbos vnguibus ferreis inciditur, manat q; è plaga succus, quem Opobalsamum vocant.* Antiquitus vulnerabatur Balsami arbuscula ferreis instrumentis ad vnguium similitudinem paratis, Theophrasto & Dioscoride testibus: sed quia visum est plantam ferro lædi, iam Plinij tẽporibus cœperunt vti vitro, lapide vel osseis cultellis ad corticis incisionem. Sed cur *ferro lædatur* inuestigandum, ne superstitiosè à Plinio scriptum id videatur. In ferro latet venenum aliquod, quod si educatur de potentia ad actum; certè vires suas manifestat, & in eas res quas secando tangit, venenum immittit. Hoc euenit rebus quæ insignem acrimoniam, vel tenuitatem partium habent, quæ per abditissimas siue altiores gladij aut cultri partes permeat, vt in Scilla videmus, quam non cultro ferreo, sed arundinaceo vel ligneo diuidendam præcepit Nicolaus Propositus, quia corrumpitur vel venenifera magis nocuaue siue nocentior euadit ferreo cultello secta: simile quid Xylobalsamo euenire potest. Panis & alia minus acria in quibus Scilla coqui solet, huiusmodi incommoda è profundis educendo, inferre nequeunt.

Theophrastus

"*Thus atque Myrrham etiam sub Caniculæ sydus æstuosissimis diebus incidi referunt, sic & Balsamum quod in Syria nascitur.* Quo tempore partes arborũ magis trahunt, & minus aqueæ substantiæ continent; plus autem resinosæ aut oleosæ, quæ facilius fluit è vulnere ob aëris ambientis trahentisque robur.

Radicũ etiam Peoniæ commodissimum effodiendi tempus.

Plinio lacryma in musto, id est, recenti ploratu, candida est; rubescit deinde, simulque durescit è translucido. Loquitur de gutta Balsami recenter collecta, quæ mustum vt vinum nuper ex Vuis expressum per quandam similitudinem dicitur, quo tempore succus Balsami candet, & vestes laneas non inficit.

Validi odoris siue firmi. Illa dicuntur odore firmo, quorum odores perseuerant, & diu in suo odore perdurant; nõnulla namque

que etsi odorem fundant; non tamen durant, flacceſcuntq; eorum odores, & citò euaneſcunt.

Dilui facilè. Græcis in exemplaribus varia eſt hæc lectio. Alij εὐδιάλυτος cum Ruellio & Marcello legunt, qui citiſſimè penetrat, facilè diluitur; quæ lectio rei ipſæ miminè quadrare videtur; cum Balſami ſuccus vt oleum pinguis, & tenaci lacti, Strabone authore, ſimilis ſit. Oleum pingue difficilè diluitur ob lentorem viſcidum, neque facilè miſcetur: quia dilui non poteſt. Alij autem vt rei meliuſculè cõueniat εὐδιαλυτίλος, quod facilè ſciſſilis, penetrabilis, pellucidus, & facilè diuiditur, vertunt. Vetus interpres ſerenum interpretatur, qui εὐδιος legiſſe videtur; Serapionem ſequutus, quem εὐδιάλυτος, id eſt, facilè ſolubilem legiſſe autumant, nam ipſe interpretatur velocis reſolutionis. Marcelli verò verſio recipienda videtur, quia maximè cum Balſamo partium tenuitate conuenit: Quod etiam à Plinio tenue dictum eſt; multoq; magis etiam ab ipſo Galeno, libro 7. Simplicium, qui Dioſcoridem tacitè reprehendit, cum dicit, *Balſamum deſiccare & calfacere ſecundo exceſſu: eſt autem tenuium partium adeo vt oderatum ſit: ſed liquor eius ſubtiliorum etiam partium eſt quam planta: non tamen adeo calidus, quam quidam exiſtimant, tenuitate partium falſi.*

Læue eſt. Læue dicitur ob partium æqualitatem, & ſimilitudine quadam, vt puri & ſedementi læuis & æqualis.

Aſtringens & modicè mordens guſtu. Aliqua vi aſtringente cum ſua partium tenuitate & modica acrimonia præditum eſt, qua modicè linguam mordet & vellicat. Plinio lib. 12. cap. 25. *Lachrymæ probatio, vt ſit pinguis, tenuis, modicè ruffa & infricando odorata.* Et paulò poſt eodem Plinio *Læuis eſſe debet, non ſubacidus, odore tantùm auſterus.*

Sed variè vitiatur. Adulteratur multifariè ſiue multis modis, vt vertit Marcellus: ſiquidem *aliqui vnguentum miſcent.* Hic χρισμα vnguentum vocat: quod de oleis odoribus leuiter inſpiſſatis intelligendũm; quale etiam eſt illud *Oleum ſanctum Chriſma, Sacramentum* ſiue ſacræ rei ſignum, ab ipſis Romanis Catholicis Sacerdotibus vocatum & artificiosè paratum, quo

in

aquæ aut lacti immiſſum celerrimè liquatur, & lacti is modo albeſcit.

Carpobalſami delectus.

Fructum verò mediocriter Opobalſamũ ſpirantem, flauum, plenum, grandem, ponderoſum, guſtu mordentem, & feruentem in ore.

Opobalſami parandi rationem docet Dioſcorides his verbis: *Æſtiuis ſub ortu canis feruoribus arbos vnguibus ferreis inciditur, manat q; è plaga ſuccus, quem Opobalſamum vocant.* Antiquitus vulnerabatur Balſami arbuſcula ferreis inſtrumentis ad vnguium ſimilitudinem paratis, Theophraſto & Dioſcoride teſtibus: ſed quia viſum eſt plantam ferro lædi, iam Plinij tẽporibus cœperunt vti vitro, lapide vel oſſeis cultellis ad corticis inciſionem. Sed cur *ferro lædatur* inueſtigandum, ne ſuperſtitioſè à Plinio ſcriptum id videatur. In ferro latet venenum aliquod, quod ſi educatur de potentia ad actum; certè vires ſuas manifeſtat, & in eas res quas ſecando tangit, venenum immittit. Hoc euenit rebus quæ inſignem acrimoniam, vel tenuitatem partium habent, quæ per abditiſſimas ſiue altiores gladij aut cultri partes permeat, vt in Scilla videmus, quam non cultro ferreo, ſed arundinaceo vel ligneo diuidendam præcepit Nicolaus Propoſitus, quia corrumpitur vel venenifera magis nocuaue ſiue nocentior euadit ferreo cultello ſecta: ſimile quid Xylobalſamo euenire poteſt. Panis & alia minus acria in quibus Scilla coqui ſolet, huiuſmodi incommoda è profundis educendo, inferre nequeunt.

Theophraſtus

Thus atque Myrrham etiam ſub Caniculæ ſydus æſtuoſiſſimis diebus incidi referunt, ſic & Balſamum quod in Syria naſcitur. Quo tempore partes arborũ magis trahunt, & minus aqueæ ſubſtantiæ continent; plus autem reſinoſæ aut oleoſæ, quæ facilius fluit è vulnere ob aëris ambientis trahentiſque robur.

Radicũ etiam Paeoniæ commodiſſimum effodiendi tempus.

Plinio lacryma in muſto, id eſt, recenti ploratu, candida eſt; rubeſcit deinde, ſimulque dureſcit è tranſlucido. Loquitur de gutta Balſami recenter collecta, quæ muſtum vt vinum nuper ex Vuis expreſſum per quandam ſimilitudinem dicitur, quo tempore ſuccus Balſami candet, & veſtes laneas non inficit.

Validi odoris ſiue firmi. Illa dicuntur odore firmo, quorum odores perſeuerant, & diu in ſuo odore perdurant; nõnulla namque

que etsi odorem fundant; non tamen durant, flacceſcuntq; eorum odores, & citò euaneſcunt.

Dilut facilis. Græcis in exemplaribus varia eſt hæc lectio. Alij εὐδιάλυτος cum Ruellio & Marcello legunt, qui citiſſimè penetrat, facilè diluitur; quæ lectio rei ipſæ miminè quadrare videtur; cum Balſami ſuccus vt oleum pinguis, & tenaci lacti, Strabone authore, ſimilis ſit. Oleum pingue difficilè diluitur ob lentorem viſcidum, neque facilè miſcetur: quia dilui non poteſt. Alij autem vt rei meliuſculè cõueniat εὐδιαλυτόσος, quod facilè ſciſſilis, penetrabilis, pellucidus, & facilè diuiditur, vertunt. Vetus interpres ſerenum interpretatur, qui εὐδιος legiſſe videtur; Serapionem ſequutus, quem εὐδιάλυτος, id eſt, facilè ſolubilem legiſſe autumant, nam ipſe interpretatur velocis reſolutionis. Marcelli verò verſio recipienda videtur, quia maximè cum Balſamo partium tenuitate conuenit: Quod etiam à Plinio tenue dictum eſt; multoq; magis etiam ab ipſo Galeno, libro 7. Simplicium, qui Dioſcoridem tacitè reprehendit, cum dicit, *Balſamum deſiccare & calfacere ſecundo exceſſu: eſt autem tenuium partium adeo vt oderatum ſit: ſed liquor eius ſubtiliorum etiam partium eſt quam planta: non tamen adeo calidus, quam quidam exiſtimant, tenuitate partium falſi.*

Læue eſt. Læue dicitur ob partium æqualitatem, & ſimilitudine quadam, vt puri & ſedementi læuis & æqualis.

Aſtringens & modicè mordens guſtu. Aliqua vi aſtringente cum ſua partium tenuitate & modica acrimonia præditum eſt, qua modicè linguam mordet & vellicat. Plinio lib. 12. cap. 15. *Lachrymæ probatio, vt ſit pinguis, tenuis, modicè ruffa & in fricando odorata.* Et paulò poſt eodem Plinio *Læuis eſſe debet, non ſubacidus, odore tantùm auſterus.*

Sed variè vitiatur. Adulteratur multifariè ſiue multis modis, vt vertit Marcellus: ſiquidem *aliqui vnguentum miſcent.* Hic χρισμα vnguentum vocat: quod de oleis odoribus leuiter inſpiſſatis intelligendum; quale etiam eſt illud *Oleum ſanctum Chriſma, Sacramentum* ſiue ſacræ rei ſignum, ab ipſis Romanis Catholicis Sacerdotibus vocatum & artificiosè paratum, quo

in hunc vſque diem vtuntur in celebri extremáque illa pedum vnctione hoc orbe in patriam cœleſtem migrando properantium, ne remoretur iter, vti monuimus in noſtris Teutonicis ſtirpium obſeruationibus. Quare hic per χρισμα intelligere eſt, « quod vnguenti modo corpori illini poteſt. *Vitiatur ab aliqui-* « *bus mixto Terebinthi, Cypri, Lentiſci, Balani vnguento, item Su-* « *ſino, Metopio, melle, aut Cypria cera liquida.* Videtur legendũ Cypreo aut Cyprino Terebintho, quia Terebinthum etiam in Cypro prouenire ait Dioſcorides, & hodie adhuc Terebinthina Cyprea omnium præſtantiſsima vbertim in vſus medicos Venetias defertur. Ergo adulteratur Opobalſamum legitimo Terebinthi Cyprei liquore, cuius in noſtris ſtirpium aduerſarijs meminimus; vel oleo ex fructu Lentiſcino expreſſo, cuiuſmodi etiam hodie Montiſpeſſuli & in Hiſpania ad fucum & alios vſus varios paratur. Variè etiam adulterabatur apud Plinium; « vt *ſuo ſemine, oleo Roſato, Cyperino, Lentiſcino, Balanino, Tere-* « *binthino, Myrteo, reſina, galbano, cera Cyprea & maximè gummi.* Has vitiati Opobalſami notas varij variè legunt & interpretantur: alij autem ſic habent; *miſcent & ex Myrto Liguſtroue ceram liquidam ſubigentes*: Cornarius ceratum *Myrteum, aut Cyprinum liquidum & lene* legit; Hermolaus verò *ceram Myrteam, aut Cypriam liquidam* bene ſubactam. Sed cùm nulla ſit cera Myrtea, aut Cyprea; cum Cornario & Marcello *ceratum* « *Myrteum & Cyprinum liquidum & bene leuigatam vel ſubactam* « legendum videtur. Serapionis interpres ſic vertit: *illi admiſ-* « *cent mel & ceram aut oleum Myrti aut Alcannæ donec ſubtiliſetur* « *multùm, & agitant fortiter miſcentes, quouſq; non appareat cera.* Ad molem augendam ceram & alia commiſcebant; Plinius *ceram Cypream* habet, & fortè quia cum pinguis ſit, facilè miſcetur, & induit olei pinguis ſiue Balſami ſpeciem. Hunc liquorem quia in pretio eſt, etiam noſtri æui mangones, odoratis ſtillatitijs denſatis, collectaneiſque oleis adulterare ſolent, vt pluris vendant. Quidam oleum ex Hyperico inſpiſſato gummi Elemni & Styrace vendunt, quod ex colore & odore deprehenditur. Alij puriorem Styracis liquidæ laticem, alij Craniam, alij Copam

pam-Iuam Indorum & consimiles inuitè obtrudunt & supponunt liquores. Alij succum Myrrhæ ex arte paratum pretio distrahunt pro vero Balsamo, cum eiusdem sint facultatis, partium tenuitate exceptà: sed venditio hæc ementita plus pecuniæ ab harum rerum imperitis emungit quam res ipsa valet. Huiusmodi varia Pseudo-Balsami genera synceri antiquorum Opobalsami varias dotes & pollicitationes omni sui parte (ne aliqua dicam interna) neutiquam explere videntur.

Myrrhæ succus siue Myrrha Stacte Opobalsami succedaneum est, vt alibi diximus.

Quod maleficium facilè deprehenditur; namque merus in laneam vestem fusus, neque maculam facit, neq. si eluatur notam relinquit. Non adulterati Opobalsami est, neque maculam facere, neque si eluatur notam relinquere, siue vestigium vllum, quod vitiatus facere solet, vt postea mox subdidit. *Vitiatus inhæret.* Cur non inhæresçat Picis aut Resinę modo, facit tenuitas partium: crassities autem remanet, & maculam siue vestigium relinquit.

Si eluatur, notam siue vestigium non relinquit. Quod de simplici ablutione intelligendum videtur, in qua Oleum & Resina & Lacrymæ vestigium relinquunt, nisi bubulo felle, vel argilla ex aceto, vitello oui & butyro, vel Saponaria herba aut Strutio antiquorum, quo delentur maculæ omnes additis, sed non simplici ablutione aquæ aut lixiuij.

Lac instillatus coagulat, quod adulteratus non efficit. Alia succi probatio est, quod si lacti instilletur & agitetur, ipsum coagulat & inspissat vt Gallium, flos Chameleontis Monspeliaci vocati, fortè ob horridas spinas, & coagulum ipsum; hoc autem præstat calore proprio aut aliqua natura propria, qua casei congregat substantiam & aqueam separat.

Adulteratus non efficit. Id efficere non potest, nisi quis adulterare velit illis rebus lac coagulantibus; vt succo Gallij aut lacte Ficulneæ arboris. Lac Ficus perciperetur minùs, quia lentescit etiam in aquam missus.

Quinetiam syncerus in aqua, aut lacte celerrimè liquatur, colorèque lacteſcit. Syncerum Opobalsamum ob tenuitatem partium

tium facilè permiſcetur toti ſubſtantiæ lactis aut aquæ, quod adulterato aut Peruuiano compacto negatum eſt, quæ immixta in aqua ſubſidunt.

Lactęſcere dicuntur, quæ lactis colorem referunt, vt lac Tithymali, Scammonij, Ficus, Mori, & conſimilium.

Vitiatus verò olei modo innatat, ſe conuoluens, aut in ſtellæ modum diffundens. Quod adulteratum oleo antiquo, innatat olei in modum; oleum ob aëriam leuem ſubſtantiam aquæ innatat. Se *conuoluens*, ſiue vt alij volunt *in orbem contrahens* aut denſans: nihil aliud deſignare videtur, niſi quod gutta rotunda permanet, hoc eſt non diluitur neque diſtrahitur vel miſcetur aut confunditur, vt ſyncerus qui citò liquatur lacteſcitque aut in ſtellæ modum diffunditur. Marcello ſtellæ modo radiatur, ſplendeſcit; à verbo διαχέω, quod tamen diffundere, diſſipare, ſpargere, & reſoluere ſignificat.

Syncerus tempore ſeneſcens craſſeſcit deteriorq́; redditur; id eſt. Qui ſyncerus & purus eſt (vt Græcè ſonat) tempore craſſeſcit, abſumptis quippe tenuibus partibus; areſcunt ſolida, & humida craſſeſcunt, vt mel & oleum; ſiue igne aut temporis curſu, longáue mora, aëre ſemper & continuò in ea agente. Huiuſmodi craſſum Opobalſamum, legitimæ Terebinthinæ Cypriæ veteris ſiue vietæ aut reſinaceorum liquorum inſtar denſatum ſeruamus in muſarum theſauris, glebæ Benzoini ferè concretione, ſapore acri & colore fuluo, maſticanti, vt Maſtiche, lenteſcente. Sed quæritur cur opobalſamum antiquitate deterius reddatur? in cauſa eſt, vires cum tenui ſubſtantia reſolui, eóque minùs efficax; quam ob cauſam recens præfertur antiquis: quare in hoc maximè vulgus hallucinatur, qui quò antiquius eſt, eò melius opinatur.

Hallucinantur qui aqua concretum peſſum ire, & ad ima ſidere arbitrãtur, poſtea diſſipatum ſupernatare. Vulgi probationẽ improbat, qui optimum Opobalſamũ ex eo iudicat, quod cõcretũ deorſum tendat & in aqua ſubſidat: quod ſi baculo diſtrahatur aquis innatat, rurſus ima petens. Sidit illud Peruuianum quod Hiſpani ad nos deferre ſolent, ſed rurſus non innatat.

De

De Xylobalſamo & eius delectu.

E Ligni genere, quod Xylobalſamum vocant, probatur recens, ſarmento tenui, fuluum, odoratum, quadantenus Opobalſamum ſpirans. Hic de ſummitatibus & ſurculis ſucculentis, vegetis & viribus efficaciſſimis, quas pro ſucco ſubſtituere ſolent Pharmacopæorum officinæ, tradit; non de caudicis ligno, quod manifeſtè nota illa ſarmenti tenuis explicatur.

Illud ipſum comprobat Plinius, *qui & ſarmenta* (inquit) *quoque in mercede ſunt* D. C C C. *amputatio ipſa ſurculuſque venit intra quintum demum annum, Xylobalſamum vocatur, & coquitur in vnguentis. Pro ſucco ipſum ſubſtituere officinæ.* Tenuia ſarmenta ſunt, quia quinto quoque anno demetebatur coma, in qua, prima bonitas non nouiſſima, vt perperā in Plinio legitur.

Odoratum, quadantenus Opobalſamum ſpirans. Non contentus Dioſcorides odoratum dixiſſe Xylobalſamum, ſed addit parum tantùm ſpirare Opobalſamum debere, ob ſubſtantiæ craſſitiem.

De Carpobalſamo.

N Eceſſarius etiam ſeminis eruumpit vſus. Quia vſum Carpobalſami neceſſarium eſſe ait, eius delectus faciendus, *Dioſcorides.* vel tale quale deſcribit Carpobalſamum eligendum, cuius vſus, ſucci ſiue Opobalſami penuria, neceſſarius eſt, ſicuti ritè in Theriaca, fructu, ligno & ſucco, ob efficaciam medicamenti aduerſus venena, vti oportuit: tanta eſt eius vis vt odor ſolus Viperas enecet. Viperæ illæ quæ in Balſametis aut Balſami ſyluis vitam degunt, innocuæ ſunt. Nemini igitur mirum, ſi omnes Balſami partes hodiè & antiquitùs in frequenti vſu fuerint; ſed mirandum & dolendum pleroſque cæcutientes medicos & pharmacarios neſcire quid ſit, aut qualia eſſe debeant Balſamum eiuſque partes Opobalſamum, Carpobalſamum, Xylobalſamum, cum ſuo Cortice, Cinnamomum, Caſ-

sia, Ammomum,& perquam multa alia, quibus indies vtuntur & abutuntur; quos hæc doceri serò pudet, & sedulò ad amussim discere oderunt, arduiq; laboris tædet; qui maledicum os potiùs comprimere deberent, quam hanc vtilissimam & necessariam Medicinæ partem discendi cupidis æqui & veri amantissimis, dissuadere, & tanquam inutilem proferre. Præscribunt enim singulis momentis Hyeram Galeni; sed nunquam quidem viderunt aut norunt ex quibus probisne an malis simplicibus medicamentis parari aut confici debet. Illis hæc commissa etiam cæco & auaro pharmacario, quò vterque incidat in foueam, sufficit. Similes sunt eis, qui decalogum & fidei articulos addiscere nolunt, sufficeréque aiunt, modò illorum bonus pastor, seruet ouile. Proh dolor; facinus indignum; quàm mera impostura, Carpobalsamum, Xylobalsamũ & consimilia multa in quotidianis compositionibus Medicamentorum, nobilissimaq; illa Hyera picra siue sacra amara, omittere & negligere?

Sed de his satis, alias latius: redeamus vnde digressi sumus, quia notissimum huius procacis & inuidiosæ ætatis malos probis infensissimos hostes; ignauos & ignaros, sedulis & doctis insidiari & æmulari, veritatemq; odium parere.

Quare eligatur flauum, plenum, grande ponderosum. Flauum colore laudatur dum recens est: fuluum euadit præ nimia maturitate.

Plenum præfertur, quia illud quod inane est, Terebinthi fructui immaturo assimilatur, & fortè idem vt multis doctis persuasum est, quo adulterabatur olim, & hodiè àdhuc vitiatur fallaci sophismate.

Ponderosum. Hæc nota necessariò præcedentia sequitur; quæcunq; enim plena sunt, grauiora siue ponderosiora & meliora sunt; quia magis farcta medulla: semina verò inania, leuia sunt.

Mordens gustu, feruens in ore. Masticatum linguam mordet & calfacit; quod non præstat Terebinthi semen, quia minus acre, & inefficacius. Si feruens est Carpobalsamum, cur dicit cognosci aut coargui adulteratum Hyperico Petreo, virium ignauia,

nauia, ſapore Piperis. Sapor Piperis virium ignauiam non refert; quare videtur non ſufficere illos fructus eſſe feruido ſapore vt Piperis, ſed Opobalſamum odore imitari debere, vt ſequitur.

Modicè Opobalſamum olens. Hoc etiam de Xylobalſamo dictum eſt, quod parum Balſamum oleat; nunc quoq; dicit ſemen moderatè, magis quàm lignum, non tamen inſigniter Opobalſamum olens. Hic locus ex diametro pugnat cum Theophraſto, qui de fructu agens dicit: *is admodùm odoratus eſt & magis quàm lacryma.* Poſſumus hæc pugnantia hoc modo conciliare; ſi dicamus aliud magis redolere & moderatè Balſamum ſpirare: fieri enim poteſt, vt ſemen odoratius ſit lacryma ipſa; ſed alio odore quàm ſuccus, tamen aliqua ex parte Balſami odorem referre. Si loquamur de odore Opobalſami, dicemus ſemen moderatè ſuccum odorari, quemadmodũ Xylobalſamum, Ruellio interprete, *odoratum eſt, & quadantenus Opobalſamum ſpirat.*

Et ſuffitu, vti Blattæ Bizantiæ, ſiue Vnguis odoratus *admuliebria vtile:* vtrumq; enim Vnguis odoratus & Carpobalſamum, Dioſcoride teſte, ſuffiuntur, cùm dicit; *ambo odoris gratia ſuffiuntur; ſed aliquatenus Caſtoreũ olent.* Huiuſmodi quamplurima odore duplici donata ſunt; quare Carpobalſamum ipſa lacryma odoratius eſt. Verùm lacryma mediocriter ſpirat odorem; alterius ſuauioris, potioris ſiue melioris rationis odoris. Dioſc. cap. de Vngue odorato.

Si quis aliam meliorem conciliaturæ rationem exhibeat, illi lubens cedam.

Adulteratur ſemine Hyperico ſimili quod è Petra oppido defertur. Minimè ſemine Hyperico ſimili, quod a Petra defertur, aut Petreo Hyperico, vt Plinius ait, legendum videtur; nam quis non videt Hyperici ſemen, etſi reſinoſum ſit, & reſinam oleat, toto cælo à Carpobalſamo differre; cuius diſſimilitudo magna cum Hyperici pericarpio aut ſemine eſt: Igitur pro Carpobalſamo Hyperici ſemen reijciendum, tanquam inane, nulla medulla præditum; continet enim in ſe ſemina minutiſſima; Balſami fructus maior eſt, & Terebinthi ſemini ſimilis tam magni-

tudine quàm colore (vt Theophraſtus annotauit) : ſunt enim colore ſaluo ante maturitatem, nam matura cærulea, ob id qui Carpobalſamum Terebinthi ſemine admixto vitiant, quæſtum & rem faciunt, Terebinthi ſemen pro Carpobalſamo diſtrahentes. Locus Plinij integer erit ; ſi dicamus, *Petreo Terebintho adulterari.* Vtriuſq; diſſimilitudo hæſitandi ſuſpicionem auget, eoq; Terebinthi potiùs, quàm Hyperici cenſerem eſſe legendum ; nam quæ ſupponuntur oportet ſpeciem & formam vel ſimilem vim earum rerum habere pro quibus ſubſtituuntur: ob ſimilitudinis vicinitatem aut proximitatem parùm exercitatos ſæpè fallunt huiuſmodi infinita. Oportebat enim olim & nunc quadam re magis perſimili Carpobalſamum adulterari ; at ſimiliori quàm Terebinthi ſemine non poſſet, quod vt diximus, tam magnitudine quàm colore ſimile eſt : medulla præditum eſt, dum maturuit præſertim, vt Carpobalſamum ; reſinam olet, & iucundiſſimo fragrat odore. Opinionem etiam maximè fouet Petrei Terebinthi, cùm Dioſcorides capite de Terebintho, de eius reſina diſſerens ex Arabia Petrea deferri aſſeuerauerit : Prouenit etiam inquit in Iudæa, Syria, Cypro, Africa & Cycladibus inſulis. Hinc omnibus apparet Carpobalſamum Terebinthi fructu adulterari poſſe, quemadmodum euenit hodiè ; ſed in hoc ſolùm differunt, quòd Terebinthi fructus immaturus inanis ſit, minuſque rotundus, & vtraque parte magis acutus. Carpobalſamum verò medulla farctum eſt, & quatuor angulis ſiue lineis præditum.

Scd coarguitur magnitudine, inanitate, virium ignauia, ſapore Piperis. Hæc pars pugnare cum ſequenti videtur : Quod ſi ſit ſapore Piperis, non poteſt ignaue viribus eſſe, ſed efficax ; quare fortè legendum ἄνοσμον, id eſt, ſine odore, vt Plinius legiſſe videtur : dicit enim *odoris ignauia, & ſapore Piperis :* cùm ait eſſe ſapore Piperis ; adulterato ſemini conuenire nequit : Nam hic ſapor potiùs Carpobalſami eſſe videtur, quia ſuperiùs dixit, mordens guſtu, feruens in ore.

Efficaciſſima vis ineſt ſucco & quàm maximè calfaciens. Dioſcorides primùm & ante omnia ſuccum Balſami commendat, quòd

quòd efficaciſſimam agendi facultatem habeat, ob innatam partium tenuitatem, ipſo fructu aut ligno multò potiorem aut efficaciorem. Subdit, *quàm maximè calfaciens*; quaſi velit illius ſummæ efficaciæ rationem reddere, & calidiſſimum tribuere feruorem.

Dicat quiſpiam cauillator Balſamum calidum & ſiccum eſſe exceſſu ſecundo Galeno; quomodo igitur guſtu feruens & mordens erit? Dioſcorides credidit Balſamum præſentiſſimas & primarias ad calfaciendum habere facultates, deceptus partium tenuitate, vt euidenter Galenus his verbis teſtatur.

Balſamum excalfacit & deſiccat ſecundo exceſſu: eſt autẽ tenuium partium adeò vt odoratum ſit: ſed liquor eius etiam ſubtiliorũ partium eſt quam ipſa planta; non tamen adeò calidus vt quidam exiſtimant, tenuitate partium falſi. Porrò fructus eius perſimilis genere facultatis eſt, cæterùm longè in ſubtilitate partium inferior.

Igitur ex Galeni ſententia Balſamum quàm maximè non calfacit; ſed manifeſtè tantùm calfacit, non vehementer, idque in ſecundo gradu; nam quæ *ordine primo* calida dicuntur, obſcurè calfaciunt, id eſt, non manifeſtè: quæ autem vehementer ſine aduſtione calfaciunt, tertij ordinis proferuntur; & quæ aduruntur, quarti ordinis denuntiantur. Sed ſi effectuum gradus metiamur; id quod calfacit vel refrigerat in ſecundo; refrigerabit vel calfaciet tantùm in primo, ob vires hebeteſcentes, labefactas & in tranſitu refractas. In Tabaci ſiue Nicotianæ deſcriptione diximus calfacientia vel refrigerantia cum partium tenuitate, citiùs & potentiùs agere ſiue ſuas exerere vires, vt Acetum & Alumen ſciſſile efficaciùs & citiſſimè conſtringere, ob ſummam partium tenuitatem.

Calida primo gradu, Secundo, Tertio, & Quarto.

Sic Caphura nonnullis interſeritur medicamentis, vt integra medicamenti vis in abditiſſima ſua tenuitate citiùs permeet & perueniat, quæ alioqui à natura longa mora immutaretur & alteraretur. Idem de Opobalſamo & Iride ſentiendum. Dioſcorides omnes Irides calfacere ait, quod Aegineta ſine aliqua gradus limitatione docet; affatim ſiue abundè, inquiens, calfacere,

calfacere, extergere & maturare tenui ſubſtantia. Intellexiſſe videtur ad ſecundum gradum, vt coniectura fert, quia ſarcoticis annumerantur; quæ eiuſmodi eſſe debent, & vltrà ſecundũ gradum calfaciendo & ſiccando minimè excedere; ne materiam generandæ carnis aptam & neceſſariam abſumerent, niſi ſuperflua caro adſit: vt alibi proprio capite diximus. Alij ad ſecundum completum, vel initium tertij exceſſus, minimè quartum, vt D. Dodoneus credidit; quemadmodum de Rorida Solis herba vocata. Iridem ſarcoticam cum Plinio dixit Auicennas; fiſtulas ac ſinus carne replere, nudataq; carne oſſa operire Dioſcorides teſtatur. Fuchſio calfacit ſecundo exceſſu, & deſiccat tertio. Quare Opobalſamum & ſimilia medicamenta, quò celeriùs ad partem affectam tranſitum præbent, eò magis viribus ſuis aſſeruatis, & ferè integris ad partem affectam perueniunt; quare efficaciùs vires ſuas exerunt, efficiendo id quod præſtare debent; vt ciere vrinas & ſudores, mouere menſes, calfacere, refrigerare, humectare, ſiccare, conſtringere, & alia quæcunque facere nata ſunt.

Abſtergit quæ tenebras oculorum pupillis effundunt. Præter illam calfaciendi vim qua pollet, quæ pupillas oculorum obumbrant, abſtergit: quod amarore quodam & partium tenuitate, quæ internam corneæ partem penetrat, præſtat: non ſecus ac fel omne. Verùm quia vlcera detergere ſiue expurgare docet Dioſc. dicemus cũ Plinio in ſucco amarorẽ quendã ineſſe, quo extergit. Plinius oculorum claritati plurimum conferre ait, & caliginem diſcutere. Si pupilla quam κόρην vocant, quæ diaphana eſſe debet, quia acies eſt qua cernitur, craſſo aut tetro vapore obruitur, aut afficitur, ſpeciem rei viſæ ingredi non ſinit, vel ſpiritus viſorij penetrationẽ ad ipſius pupillæ illuminationem impedit. Tale ſymptoma ab aliquibus σκοτάσμα, ſiue tenebricoſa oculorum obſcuritas vocatur.

Medetur perfrictionibus vuluæ. Quia calidum eſt tenuium partium & odoratum, quo gaudet vterus perfrictionibus medetur. *Cum cerato Roſaceo appoſitus:* intra vuluam intelligendum, peſſarij modo ex hapſo carpinato poſitus: ſed dicit *cum*

cerato

cerato Roſaceo: quod rationi alienum videtur; quia Roſaceum ceratum tenuitati partium ex oppoſito repugnat: Dioſcorides tamen *Roſaceum ceratum* cum Schœnantho paratur. Serapio cum Cera & Oleo imponebat. Fortè Dioſcorides Roſaceo cerato excipi voluit, quia exiſtimabat efficaſſimum & calidiſſimũ medicamentum. Serapionis verba ſuſpicionem augent, cùm dicit; *Aufert frigiditatem matricis, quando fit naſcale cum eo & cera & oleo; repellit q. ſecundinam & fœtum.*

Plinius de hac facultate nihil; verùm hoc præſtare expertæ ſunt vetulæ; ſed per ſe apponunt: quare non diſplicet Serapionis lectio cum *cera & oleo*, id eſt, cerato. Quod ſi quærat aliquis cur Ceratum roſatum addendũ iuſſerit Dioſcorides? In promptu reſponſum; id ex arte factum eſſe vel fuiſſe, quia medicamẽtum efficaciſſimum eſt in parua quantitate: parua quantitas cõmodè adhiberi non poteſt, niſi aliqua ſubſtantia excipiatur; vt eius efficacior & efficæuis vis temperetur, & ne plus iuſto incaleſcat pars affecta impoſiti Opobalſami contactu. Hinc liquidò colligere licebit oleis ſtillatitijs Chymiſtarum, & ementitis Balſami liquoribus; non niſi alijs probè commixtis & temperatis vtendum eſſe; quia pleraq; feruore & partium tenuitate lædunt, morborumq; ſymptomata augent. Eſt enim in rebus omnibus modus optimus.

Horrores illitu diſcutit. Legendum melius, rigores ſoluere videtur, quia in Græco ῥίγη habetur, ſed horror ſæpè pro rigore, & contrà rigor pro horrore ſupponuntur; quæ ſecundũ magis vel minùs differunt. Rigor fit cum maiore concuſſione in biloſis febribus; Horror cum maiore refrigeratione in quartanis compoſitis, vel ὑπερτριταίοις, id eſt, tertianis febribus imperfectis ad quotidianam accedentibus: Frigus in quotidiana. Horrores, rigores & frigora Opobalſamum non ſecus ac alia calidiora, vt Rutaceum oleum, Anethinum, Eleliſphacites, Abrotonites, è Caſtoreo, Irinum, ex Euporbio, è Piperibus, & ſimilia, ſpinæ dorſi illitum ſoluit. *Horror. Rigor.* *Frigus.*

Vlcera ſordida expurgat & cruda concoquit. Aliquam detergendi vim habere iam diximus, cum pupillas detergere certũ; ſed

sed sordida vlcera purgat facultate detersoria, & attractrice saniem è poris carnis attrahente.

Vrinam potu ciet. Sua tenuitate partium.

Aegrè spirantibus prodest. Crassa & cruda incidendo, & farcta reserãdo, cõcoquendo & discutiẽdo facilẽ respirationẽ reddit.

Datur in lacte contra Aconitum haustum. Quia aduersus venena pollet, antiquitatis etiam experimentis, miscetur antidotis: lac veneni acrimoniam inhibet, & mitius venenum efficit; cum sua antipathia Opobalsamum expugnet venenum, in nobilioribus antidotis miscetur: vt Dioscorides notauit his verbis; *miscetur acopismalagmatis & antidotis.* Vt videre est apud Galenũ de Compositione Medicamentorum & de Antidotis.

In summa, authoritas succo præcipua, secunda semini, minima ligno. Hæc ferè Plinianæ lectioni conueniunt; nisi quod quatuor partes statuit. *Præcipua* (inquit) *gratia lacrymæ, secunda semini, tertia cortici, minima ligno:* distinxit corticem à ligno. Vis medicamentorum est in succo, in quo igitur primaria vis; deinde in fructu, quia fructuum medullæ succulentæ sunt; tertia in cortice magis quàm ligno, quia odoratior & efficacior ligno..

Semen commodè potui datur doloribus lateris. Semen Græcis καρπον vocatur, id est fructus: sed parùm refert si quis fructum vel semen dixerit.

Pulmonum vitijs, tussi, ischiadicis, comitialibus. Pleuriticis, peripneumonicis, orthopnoicis, vertiginosis, vrinæ difficultatibus & torminibus mederi ait: quod intelligendũ ad materiæ concoctionem, expectorationem & incisionem.

Ac serpentium morsibus. Hìc intelligendum, vt in Theriaces descriptione monuimus, venenosarum bestiarum morsibus. Nam θηριόδηκτος venenosorum animalium morsum, aut serpentis ictum significat. θήρια Medicis animalia venenata sunt, vt Vipera, Serpens.

Ad mulierum suffitus per quam vtile est. Quemadmodum Opobalsamum vuluæ perfuctionibus conuenit; sic & fructus ad vterinos morbos in suffitibus vtilis.

Vul-

Vuluam aperit in deſeſſionibus balneorum decoctum. Non ſolùm in ſuffitu, ſed ſi decoquatur, & in decoctione ſedeat mulier.

Humorem trahit. Id eſt, humiditatem ſuperfluam expurgari neceſſariam, Græcis ὑγρασίαν vocatam.

Lignum eaſdem habet vires, aliquantò minores. Partes eiuſdē arboris videntur eaſdem habere vires, ſed minores & ſucco inferiores; quia minùs ſucci obtinent, plus craſſarum partium. Igitur facultates aſtringentes terreæ ſubſtantiæ obtinebit, & cortice ipſo inefficaciores. XYLOBALSAMI vires.

Ex aqua potum cruciatibus, torſionibus ventris, vulſis & venenatorum morſibus opitulatur. Hoc habere poteſt commune cum ſemine, *& vrinam prouocare.*

Ad capitis vulnera cum ſicca Iride conuenit. Quia potentiùs ſiccat, capitis medetur vulneribus, quæ ſiccitate egent ſumma.

Squamas oſſium extrahit. Squamas tenuia fragmenta ab oſſibus ruptis vel corruptis vocat.

OMnibus legitimi Balſami partibus exactè perpenſis, quæritur num alicubi adhuc reperiantur, aut nobis ſuperſint Balſamum, Opobalſamum, Carpobalſamum & Xylobalſamū? Certiſſimè ſcimus Opobalſamum Arabicum aut Aegyptium in Europam deferri; ſed Imperatoribus, Regibus, & Principibus tantùm, & in parua quantitate, quæ penuriam vel caritatē & paucitatem illius, cuiuſmodi à priſcis, Dioſcoride, Theophraſto & Plinio, Guillandino quoque Proſpero Alpino & Bellonio neotericis deſcribitur, indicat; eóque pondus hodiè duplo potiùs rependitur auro quàm argento. Eiuſmodi genuini ſiue natiui Opobalſami quatuor vnciarum lagenulam diu ſibi ſedulò & preciosè cuſtodiuit clariſſimus D. GEORGIVS CAREY Baro de Hunſdon. Cariſſimum & perinde nobiliſſimum eximiæ dotis Opobalſamum etiam vidi proximo Londinenſi peramœno ſuburbano rure *Hackne* vocato, apud nobiliſſimum & honorificentiſſimum virum, harum & omnium ſtirpium, ſimplicium, ratiorumque Naturæ miraculorum ſtudioſiſſimum

ſiſſimum & parentem benemeritum Dominum Baronem Eduardum Zouche, Conſtantinopoli ex magni Sultani ærario delatum in ſuæ legationis reditu; quod etſi ſeptenne, tamen diu colore ſuo diaphano, luteo pallido aſſeruato, permanſit & perualuit; ſapore magis amaro.

Rarum itidem ſui ſpectaculum mihi præbuit Londini hoc anno 1597. ſimilis peregrinæ elegantiæ latex inter eximios, rarioréſque ſtillatitios liquores humaniſſimi D. Doctoris Guilielmi Mount Prochotrophij Sabaudię (vulgò Sauoy) præfecti, à nobiliſſimo, honoratiſſimo & conſultiſſimo Domino Guilielmo Cecilio Angliæ ſummo Theſaurario, acceptus: Cuiuſmodi ſimiliter videndi copiam fecerat Illuſtriſſimus ſummæ & perpiæ memoriæ Guilielmus à Naſſau Princeps Auraicus Antuerpiæ, anno Salutis 1583. cui tunc inſeruiebam. Vtrunque tamen quia ſeneſcebat denſius reddebatur, & ſolutionis difficilioris, niſi igni admoueatur; id quod reliquis lacrymis commune eſt. Color aureus erat, & exquiſitiſſimi ſuauitatis odoris, Angelicæ radicis quadantenus. Veteraſcens rubeſcit & tandem ex lucido nigreſcit, deteriúſque redditur: recens verò lacteſcit, & facilè diluitur, vt ſuprà monuimus.

Conſimilis ſynceri Opobalſami ope & beneficio, deprompti ex ſelectiſſimis medicamentis ſimplicibus inſtructiſſima & ditiſſima officina D. Hug. Morgani noſtri, docti, induſtrij & fideliſſimi Sereniſſimæ Anglorum Reginæ Pharmacopolæ, experimentum ſiue mirandum periculum factum eſt in quodam nobili è Regia cohorte, Ardenno nomine; ore, ſonipedis vngula, ſauciato; momento & breui tempore reſtituto, artificioſa manu D. Guilielmi Gooddowrus peritiſſimi Regiæ Maieſtatis Chirurgi primarij, ſtillatitiorum & rariorum liquorum amantiſſimi & ſolertiſſimi, Opobalſamo bis tantùm perfuncto aut impoſito.

Peruuianum illud Officinarum Opobalſamum minimè ſyncerum, vt plurimùm putamus.

CARPOBALSAMVM. Carpobalſamum ſiue Balſami fructus vetuſtate exoleti, qui ad nos deferuntur, miſcellanei ſiue promiſcui ſunt, ab aliquibus

bus Terebinthi fructibus, quos ex Theophrasto Terebintho similes esse diximus, permixti; sed distinguuntur facilè; nam Carpobalsamum rotundius est, & semper medulla plenum, & quasi ex quattuor lineis vel angulis rugoso ligno adhærentibus. Tale sic pingitur à Serapione.

Et granum quidem ipsius, quod nominatur Carpobalsamum, est granum rotundum ad longitudinem aliquantulùm tendens, ac acuitatem in ambobus capitibus, in medio verò grossius, cuius color tendit ad rubicunditatem, & est plenum, mordens linguam mordicatione aliqua non multa, & quando frangitur, interius habet humiditatem similem melli, & eius odor bonus est.

Si quis eius generis Carpobalsamum recens non vietum nanciscì queat, eo vti per nos licebit, cùm efficacia Carpobalsami dotibus conuenire videatur. Sed quia eiusmodi non diu in virium vigore perdurat; neque ad nos nisi vietum & exanimatum asportari solet; sanè longè malim *Carpobalsami speciem eximiæ odoris* fragrantiæ, gustus & efficaciæ aduersus venenatorum ictus eligere; quale etiamnum Londini hoc Anno 1597. in Tablino vel musei thesauro capsam plenam asseruat Clarissimus vir præfatus Baro, D. de Hunsdon, ex Indijs orientalibus delatam, Carpobalsami titulo: *Carpobalsami species eximia.*

MOLLE *fructus maturi effigies & pærilitas, ſine æqualis fructus magnitudo.*



Mollis arboris amœnæ frondes, extremæ prominentes, mollis inciſuris diuiſæ aut ſeratæ, deſcriptæ ſeqq. paginæ.

EIus ſemina complura racematim cohærent, glumoſa Lẽtiſcinis ferè paria, oleaginoſa, ſuauiſſimæ ſapiditatis, cum partium tenuitate, quorum medulla commãducata, in ſuauiſſimum, tenuem, facilè diſſolubilem, oleaginoſum cum leuiſſimo glycypicro ſiue dulci amarore cor reficiente, & aliquãtulùm faucibus inhærente vaporem abit. Hic fructus bellè & apprimè quadrare videtur cum Galenico & antiquorum Carpobalſamo; eóque meritò Carpobalſami ſpecies cenſendus & cunctis alijs præferendus, modò recens, cuiuſmodi habuimus à præfato C. D. de Hunſdon, ad nos peruenerit. Eius etiam plantæ facies & delineatio, quantùm mihi viſa, nõ reclamare deſcriptioni perſuaſit; eóque Lentiſcinis aut Terebinthi fructibus vel lacteo liquori non modò parem, ſed primariam dotem tribuendam cenſeo.

Huius

HVius etiamnũ hac æſtate ſex plantæ eodem Clariſſimi viri D. Baronis de Hunſdon ſemine ſatæ, tum areola peramœni & cultiſſimi viridarij, tum teſtaceis fictilibúſue vaſis clariſſimæ heroinę Dominę Scheffield, vxoris honorifici Equitis D. Eduardi Stafford, non procul à Regia Greenwich creſcunt; ſpithameo tenui caudice, in quo nouem aut decem nigricãtia folia pinnata, profundè crenata, Gelſemini ortu & ſitu quadantenus (maius tamen, multò longius & anguſtius, reliquis extremum prominens folium eſt, cui plerunque ad baſim inſeritur altera ala, vt iconis lineamenta docent) quibus decerptis ficulneę frondis modo, lac tenax & fragrantiſſimum emanat.

MOLLE ſeu MOLLY nouelle ſine pullulaſcentis, trimeſtris & quadrimeſtris effigies pariliſáque.

Eiuſmodi planta elapſa æſtate eo ipſo ſemine recenti enata Londini in horto Domini Iohannis Gerardi perboni Chirurgi & rei herbariæ ſtrenuo, copioſo auidóq; nuperrimo anglicè ſcriptori, quæ ſubſequente hyeme incuria & aëris iniuria interijt. *Gerardus.*

Iam

Iam viginti & pluribus annis nobis huius ipſius arboris fructus & ramulus ſub nomine Indico vel patrio *Molle* innotuerunt Mechliniæ Belgarum, penes C.V. piæ memoriæ Iohannem de Brancion, rarioris & ſelectioris plantarum hiſtoriæ parentem benemeritum, quos ex Hiſpania acceperat, non ab Orientalibus Indijs, ſed ex Peruuianis miſſos: quod neutiquam mirandum: quamuis Balſami arbuſculam vni terrarum Iudææ & Aegypti priſci oriundã aſſeuerārint: tamen in Arabia Fœlici Balſameta ſpontanea naſci certum: cùm etiam Occidentales Indiæ longiſſimo æuo poſt Dioſcoridem, Theophraſtum, Galenum, & priſcos fuerint compertæ. Quo igitur ſcriptis noſtris plus accedat authoritatis & fidei, C. Cluſij doctiſſimi, fidiſſimi & oculatiſſimi ſcriptoris (vt qui hanc Arborem iamdiu icone & oratione dederit, & plantas quas in medium deprompſerit, viderit) verba mox ſubdemus, cui potiùs fidendũ, quàm cæteris penè herbariæ hiſtoriæ ſcriptoribus nuperis, qui vndequaque aliena corraſa ſcripta pro ſuis obtrudunt & ſupponunt, authoribus inſalutatis & laboris ſui præmio defraudatis, ne laternæ aperiantur aut patefiant, ex quibus libris furtiuos floſculos excerpſerint. Huiuſmodi homines indigeſtorum abſurdorúmque collectaneorum rapſodos herbarios vocant Italorum nonnulli peritiores; quòd potius diſcendi cupidos obruant quàm edoceant plantis ſibi ipſis ignotis in agro virentibus; ex pictura libri aut effigie tamen notiſſimis.

Huius Farinæ & farraginis fuit Tabernæmontanus cum ſuo Typographo & aſſeclis vel ſectatoribus ſuis, quorum impudentiſſima ora haudquaquam inhoneſto erubeſcere pudore ſtupent admiratione Rei-herbariç eruditiores & ſynceriores ſcriptores, ob alienas innumerabiles ſubreptas D. Cluſij, egregij perpiæ memoriæ Geſneri & noſtras icones, maximis Plantinianis ſumptibus delineatas. Sed heu heu dolendum & ferendum! In ſimiles Typographos qui alienos labores peruertunt lucri cauſa, lepidè quadrant horum ad lectorem quondam verſiculorum nonnulla è veteri codice fragmenta, quorum à tyrocinio latinæ linguæ meminiſſe iuuat. Sic enim habent.

Si vadis Antverpiam,
Caue liber typographos
Malos, auaros, improbos;
Effronte qui impudentia
Audent libros corrumpere,
Pios labores perdere, &c.

Commune hoc fucatum vitium conſequuntur imperiti plerique materno idiomate ſcriptores idiotæ, aut lucifugæ noctuæ, in quos quadrare videtur, aut reuocari poteſt illud commentum in artem paruam Galeni pię & ſummę memorię Hieremiæ Triuerij ſcholæ Medicæ Louanienſis profeſſoris celeberrimi, cùm inquit.

Ambitio condonanda, ſed eſt intolerabilis illorum gloria, qui hodiè nouas & veras rapſodias ſcribunt, &c. ſed quærunt quid agant, ac vt aliquid videantur facere, ſingula rerum capita perſtringunt, quod eſt tam difficile, vt nemo non poſſit facere, qui ſciat legere. Ex hoc eſt quòd tam multi (vtinam pauci boni) nobis prodeant Medici.

Si victurus liber, vt fertur, debet habere genium, & neſcio quid latentis viuæ energiæ; quo in honore apud ſeros nepotes erunt laruatarum rapſodiarum ſiue hodierni fallaces quorundã faſtu turgidi ſcriptorum acerui? Hæc obitèr; redeamus vnde digreſſi.

Ceterùm

Triennis fruticantis MOLLE *effigies, apud Cluſium.*

Cluſius.

CAeterùm odor fœniculi mihi in memoriam reuocat Arborem in Peru naſcentem, Molle vocant; cuius ego puſillas duas plantas è ſemine natas vidi ante aliquot annos Mechliniæ, in horto ſplendidiſſimo illuſtris viri Domini Iohannis de Brancion; ſed quæ tertio anno perierunt hyemis iniuria. Erant autem eæ arbuſculæ trunco, quia tenellæ, ex viridi nigricante, multis conſperſo veluti maculis cinereis: folia pennata vt fraxini, ſed multò minora, ex viridi nigricantia, ſerrata & ſub extremum anguſtiora, quæ ab arbuſculis reuulſa lacteo ſucco, eoq́ lento & viſcido, & odorato manabant, & ipſa folia trita fœniculi odorem reddebant, guſtata nonnihil aſtringentis habere facultatis videbantur. Fructus ex quo natæ ſunt piperis ferè magnitudine, oleaginoſus, pellicula rubeſcente tectus racematim cohærens vt ex icone quam ad viuum depingi tum temporis curauimus, conſpicere licet; florem quem habeat ignoramus, ſed quibuſdam authoribus minutus eſt, Viti ſimilis. Hæc arbor abundanter naſcitur in conuallibus & locis planis Peruuianæ regionis,

Natale.

vt

vt referunt omnes qui Occidentalium Indiarum descriptionem dederunt: sed Petrus Cieça maximè qui eius descriptionem hoc modo capite 112. primæ partis Chronici dat.

Toto hoc tractu conspiciuntur magnæ quædam & etiam paruæ arbores, quas Molles *appellant incolæ: folia habent minuta, odore fœniculi, cortice adeò commendato, vt eius decocto crurum dolores, & inflationes summa cum vtilitate foueantur; ex ramulis fiunt dentiscalpia vtilissima. Ex huius fructu cum aqua decocto, pro coctura modo, fit aut vinum siue potio admodùm bona aut acetum, aut mel: tantoq; in precio apud Indos sunt hæ arbores, vt quibusdam locis eas consecratas suis Idolis habeant. Addunt nonnulli eius arboris foliorum decoctum, doloribus ex frigida causa ortis auxilio esse. Gummi verò eius, quod Mannæ modo candidum est, lacte dissolutum, caliginem oculorum abstergere.* MOLLE *historia alia.* Facultates.

Hæc sequentia subdere visum fuit, monente clarissimo & eruditissimo viro D. Lanceloto Brunio Sereniſſimæ Angliæ Reginæ Doctore medico assumpta ex Nicolao Monarde, vbi ait sub finem primi libri; *Fructum item tibi mitto arboris cuiusdam, quæ solummodò in hac prouincia nascitur, (è Lima in Peru 26. Decembris 1568. ad Nicolaum Monardem scripsit Petrus de Osma nobilis Hispanus) Ilicis magnitudine, cortice Cerri, Aegylopi simili; foliis fraxini. Magnis viribus pollet; nam corticis eius puluis vulneribus insperſus, ea mundat; deinde carnem generat, & perfectè curat. Dentes eodem puluere fricati, stabiliuntur; gingiuæ abscedentes sanantur. Foliorum decocto intincti panni & calidi vulneribus aut puluerі corticis illis insperſo, impositi, curationem eorum accelerant, & humorum ei defluxum prohibent. Ex ea manat liquor odoratus, quem etiam fructui adiunxi, suffitibus idoneus, ad multos capitis morbos, & emplastris vtilis. Ex eius fructu salutiferam admodùm potionem Indi conficiunt. Eum istic (in Hispania) seri & nasci velim; nam tibi delectationem adferret, ob eas quibus prædita est hæc arbor facultates; tum etiam quia nouum arboris genus est, & omni tempore odoratum.* Hactenus Monardis Domino Cluſio interprete.

Hæc addam insuper, arboris huius ob eximias celebratas

dotes, & Fulciendæ ſententiæ noſtræ gratia è D. Ioannis Fragoſi Medici egregij & Chirurgi Regij libro de rebus ex Indijs importatis, Hiſpanico idiomate vernaculo inſcripto, accepta & latinitate donata, beneuolentia & humanitate præfati clariſſimi D. Doctoris Regij Lanceloti Brunij; cuius verba hæc ſunt.

Atque hoc loco mihi occaſio offertur (propter varias & multiplices quas homini affert commoditates) inſignem illam arborem deſcribendi, quæ in campis & vallibus Feruuianis prouenit Molli ſeu Muelle *(i.* Mollis) *nominata: cuius ſemen in Hiſpaniam importatum ſeminatumq́; varijs in locis arborem produxit. Prima quam conſpexi arbor, in Regijs hortis è ſemine enata eſt admodùm puſilla. Poſteà eandem mihi monſtrauit in ſuarum ædium horto Ioannes Fernandez Regi à ſecretis, tantæ proceritatis ac pulchritudinis, vt eam intuendi & contemplandi me nunquam capere potuerit ſatietas. Arbor multos profert ramos ex cunctis ipſius partibus ſuaueolentem fragrantiam fundens, ſed ita ſi prius manibus perfricetur. Folia eius referunt Fraxini folia (præterquàm quòd anguſtiora & minutiora exiſtunt pro arboris mole) læuia & aliquantulùm crenata verſus terminũ, vbi in mucronem quaſi deſinunt; ſenſim magis magisq́; anguſtata. Flores producit valdè exiguos, & racematim cohærentes, nullũ adhuc adeò referentes atq́; Vitis flores, quando iã iam in vuas facescere, tranſmutari, & abire incipiunt. Fructus eius paululò ſuperat magnitudine granum Piperis, primùm viridis, ac demùm coloratior euadens: ex quo vinum valdè bonum conficiunt, acetum ſimiliter & mel, fructum in ſufficiente aqua decoquentes, vſquedum tanta eius quantitas coctura conſumatur, quanta eis neceſſaria & conueniens videbitur. Vbicunq́; eam incideris, lacte quodam viſcido referta conſpicitur, quod digitis inſtar viſci adhæret. Eius lignum eſt valdè tenax ſine ſequax & flexuoſum, neq́; vnquam folia amittit. Folia guſtata ſunt plurimùm aſtringentia; vndè liquet (præter calidam quã poſſidet temperaturam) ei varias ac diuerſas ineſſe facultates. Vſurpant foliorum decoctum aduerſus mala à frigida cauſa profecta. Habet Gummi genus quoddam albiſſimum, Mannam referens,*

quod

quod lacte prædicto ſolutum oculorum nebulas ac albugines abigit. Cortex tantarum eſt virium, vt crurum dolores tumoreſq; ingentes (ſi eius decocto aliquoties lauentur) breui tollat. Tanta in veneratione iſta arbor apud Indos eſt habita, vt eam tanquam diuinum quoddam numen colerent, gentilitijs ſuis ritibus ac ceremonijs ipſam adorantes. Haud aliter atque Moly *Homerico herbæ præcæteris ſtirpibus ſummis laudibus celebratæ tantam reuerentiam attributam refert Plinius, vt nomen ei à Dijs impoſitum arbitrarentur. Vnde Ouidius.*

Pacifer huic dederat florem Cyllenius album:
Moly *vocant Superi; nigra radice tenetur.*

Hactenus Ioannes Fragoſus, Domino Doctore Lanceloto Brunio interprete.

Huius Carpobalſami, id eſt Mollis fructus vnciæ octo tuſę, 3. ſeptem præſtantiſſimi & vtiliſſimi laticis, artificioſo torcularis preſſu, officioſáque opifera manu Ludouici Mirei politioris Medicamentariæ artis peritiſſimi, fului ex atro coloris, craſſamenti ouorum olei ferè & Diuinæ fragrantiæ, ſimillimi ipſius ſeminis odoris inter tundendum, & ſaporis Xyloaloes optimæ notæ, nobis dedere. Hic liquor recens expreſſus albeſcit & ſpumat; in laneam veſtem ſiue chlamydem cognati mei Ioannis du Boſquiel, eruditi, probi, egregij & fide digni viri fuſus, et ſimplici ablutione aquæ lotus, notam ſiue veſtigium non reliquit. Qua ratione id fiat, ſuprà diſſeruimus. Ex magmate ſeminis iterum tuſo & pauca Roſacea aſperſo, preſſu forti laticis vnguinoſioris reſinacei, inſtar grani Iuniperini 3. ij. elicui, qui in panno etiam fuſus maculam non reliquit, aqua eloto ſimplici. Quinetiam in aquam iniectus & agitatus celerrimè liquatur, diluitur, & lactis modo albeſcit; quibus notis à Dioſcoride ſyncerus à vitiato coarguitur, aut diſcernitur: Vnde & ex ſuprà enumeratis dotibus facilè colligere licet, Mollem arborem propoſitam eſſe veri Balſami ſpeciem; facie tamen, figura, fronde & arbore variam ab Aegyptio & Iudaico Græcorum Balſamo, vt Vitis coli & amputari; eóque fortè. Salicis humilis ſiue Amerinæ modo fruteſcere ſolitam, vti de Cinnamomo *Legitimi Opobalſami notæ.*

& Caſſia alibi aſſeruimus. Plinius autem tres Balſami ſpecies ſtatuit. *Euteriſtam*, id eſt, *ſectilem*; *Trachyn*, & tertiam *Eumecem*, proceriorem & maiorem.

Noſtræ etiam ſententiæ, pro ſuo incomparabili in ſtudioſos candore & eruditione præfatus Dominus Doctor Brunius, fauere videtur; qui literis ſuis gratulabundis præter iam dicta hæc mihi ſignificauit.

Carpobalſami ſuccedaneum.

HInc liquidò videre eſt doctiſſ. D. L'Obelli, vt tibi hæc duo largiar, Mollis *nimirum arboris cùm ipſum fructum Carpobalſamũ verum virtute longè ſuperare, tum expreſſum ex fructu liquorem vero Balſamo viribus quàm proximè accedere, eiuſq; deficientis conuenientiſſimum fore ſuccedaneum: Eas tamen arbores haud parùm inter ſe diſcrepare. Primo natali ſolo: Balſamo Arabiæ; Molli Americæ indigena exiſtente. Secundo, arboris proceritate. Nam Mollis Ilicem magnitudine æquat: Balſami arbor adeò puſilla eſt, (ſi oculato eius rei teſti Bellonio credimus) vt eius truncus pollicem humanum, ramuli pennam anſerinam ambitu ſuo vix ſuperent. Tertiò Molli folia crenata, multoq; quam Balſami arbori maiora; cuius folia Iaſminum referunt, nullis dentibus crenata. Quartò è quauis Mollis arboris particula inciſa aut diſſecta, lacteus humor emergit; id quod Balſami arbuſtulo accidere nemo eorum qui id cõſpexerunt ſcriptis prodidit. Accedit ſeminum ſeu fructuum diſcrepantia. Carpobalſamum (referente Proſpero Alpino qui omnium accuratiſſimè Balſamum eiuſq; omnes partes examinauit) oblongum & vtrinq; acuminatum, grandiuſq; exiſtit: Mollis autem fructus minutior cernitur, vndique rotunditate conglobatus, vtrinque aliquantulùm obtuſior; tantùm abeſt vt in mucronem vtrinque promineat. Ego quæ cenſeo ſcripſi, tu tuo vtere iudicio. Vale.*

Reſponſum.

DElector valdè (mi Bruni clariſſime & candidiſſime) tuis monitis, diſceptationibus & opinionibus, quas ſcitè, doctè & egregiè in ſtudioſorum gratiam & Reipublicæ vtilitatem in medi-

dium adfers. Vnanimis quidem vnà mecum sentis, *Mollis* arboris fructum Carpobalsamum verũ virtute longè superare, tum expressum ex fructu liquorem (etsi minimè succus siue Opobalsamum ex arboris incisæ plaga sit) vero Balsamo viribus quàm proximè accedere, eiusque deficientis conuenientissimum fore succedaneum; cuius quidem precioſi expressi liquoris dotis & primæ bonitatis notæ cum antiquorum Opobalsamo aptissimè quadrantis, periculo iam facto, oculatus testis fueris: eas tamen arbores haùd parùm inter se discrepare ais; id quod ingenuè fateor (multum enim tribuo tuis egregijs, ad rei veritatem perquirandam, disceptationibus) sed non inficior Mollem arborem, legitimi Balsami speciem me sanxisse; non tamen eandem, sed variam aut diuersam ab Aegyptio, Iudaico aut Arabico Balsamo: Veruntamen obiter pauca dicam; neutiquam aduersandi gratiâ, sed potiùs modestiæ causa, & doctorum iudicia agitandi siue exercendi.

Primò de natali Arabico solo. Nouus orbis, Indicæ variæ plagæ & America priscis ignota, producere possunt consimilis generis & speciei arbores, quas Arabia, Aegyptus aut Iudæa.

Secundò arboris proceritate: nam Mollis Ilicem magnitudine æquat; Balsami arbor pusilla est, &c. Ilicis glandiferæ arboris, vti Gallæ, Quercus, Esculi, Roboris grandis & paruæ, multæ sunt species. Iliceta in Nitiobrigum agro, arboribus quernis minoribus, plurima conspiciuntur: In Syluis plerunque fruticosa nascitur Ilex, folio minùs acuto & spinoso chamęilice aut humili Ilice, humanæ proceritatis, denum aut duodenum pedum. Ea etiam passim humilis coccifera cubitalis, bicubitalis & tricubitalis, quę cultu & amputatione, Amerini Saliceti módo, variare facilè potest, vt paulò antè & alibi diximus, Cinnamomi, Cassiæ, & Ficus pumilis exemplo.

Tertio folia crenata Molli, multoq; quàm Balsami arbori maiora &c. Verissimam esse Dioscoridis sententiam norunt qui in vera Simplicium siue Medicinalis materiæ cognitione cæteris diligentiùs versati sunt; dum ait.

Cui in animo est horum peritiam assequi; necesse est eum primæ ger-

germinatione ſolo emergentibus, adultis & ſeneſcentibus adeſſe: nam qui pullulanti duntaxat adſteterit, adultam cognoſcere non poteſt: neque qui adultam tantùm inſpexit, nuper erumpentem noſcet. Quò fit, vt propter mutatam foliorum faciem, caulium proceritates, florum ſeminiſq; magnitudinem, & id genus alias peculiares notas, nonnulli qui olim has rerum varietates non perſpexerunt, magno in errore verſentur.

Mollis aliquot trimeſtres æſtiuæ, aut quadrimeſtres & quinquemeſtres plantæ, mihi nuper Londini & vicino commendato ruri viſæ, fronde tantùm ab ima & latiore ſui parte non diuiſo, ſed contiguo, vel potiùs continuo, ſiue alio ex alio annexo, colligatóue diſtant & variant à trienni C.D. Ioannis Brancionis Molli apud C. Cluſium, folijs pinnatis & ambitu ſerratis: Sed ſelegi inter Mollis adultæ arboris fructus, ante olei ſiue liquoris expreſſionem nonnulla *folia minimè ſerrata, qualia aſſeruamus, & hìc icone dedimus; ſimillimi cũ ſemine guſtus, Lentiſcinis longiora multò & anguſtiora, ad Iaſmini prominentia ſiue propendula folia accedentia. Bellonius tribuit Aegyptio Balſamo etiam folia Lentiſcina, vtrinque neruo innata, vt in Roſarum vel Fraxini, vel Iuglandis folijs videre eſt; Ciceris tamen foliorum magnitudinem non excedere. Vnde liquidò conſtat arbores & herbas varias ſubire mutationes, quemadmodum etiam in Smyrnio, Oenanthe, & quamplurimis plantis videre eſt; præſertim in hac peramœna, ditiſſima & fertiliſſima Britannica, maximè peregrinis fauente plantis, inſula; ob frequentes imbres ſolum irrigantes, herbas adeò facilè immutantes præ nimio humido, vberrimè ſuccreſcendo & luxuriando (vt neutiquam eaſdem, ſed diuerſas ſpecie dixeris) colligenteſq; & earum deſcriptiones dantes, ſæpè fallendo, qui pro diuerſis eaſdem, vt copias oſtentent, delineant.

Mollis adultæ arboris folia non ſerrata.

Quartò è quauis Mollis arboris particula inciſa aut diſrupta, lacteus humor emergit; id quod Balſami arbuſcula accidere, nemo eorum qui id conſpexerunt ſcriptis prodidit, &c.

Molli, Balſamo, Lentiſco, Terebinthi ſpeciebus, Tragacãthæ, alijſque quãplurimis plantis idipſum euenire poteſt, quod Lactu-

Lactucarum, Seridum ſiue Intubaceorum, Condrillarum, Ixi-
Ferulacearum nonnullis ſpeciebus peculiare & frequens eſt,
quibus nonnuſquam plus alijs minúſue lactis viſcidi & gum-
moſi, aliqua aut qualibet ſui parte fundere contingit. Quam-
obrem inficias ire nolim Mollem non poſſe veri Balſami ſpeci-
em eſſe: Inter tamen Carpobalſamum & Mollis fructum con-
ſpicuam & talem, qualem inter Terebinthi & Lentiſci cognata-
rum plantarum fructus, differentiam agnoſcimus.

Carpobalſamum Aegyptium & Officinarum vtrinque a-
cuminatum & oblongum eſt, Terebinthi fructui ſimile, aliquot
lineis anguloſis præditum, quale proſtare ſolebat & etiamnum
proſtat adhuc, ſed rarò, in quibuſdam tantùm officinis; quo-
rum, quia niſi vieta & euanida ad nos aduehuntur, vſus abole-
uit. Mollis fructus Lentiſcinis ſimiles ſunt ex fuluo purpuran-
tes, racematim denſo ſtipatu cohærentes, intus compreſſis vtì
Lentiſcinis ſeminum nucleis.

Alij laticem ſuccúmue vnguinoſiorem eliciunt tritis & con-
tuſis lignis, corticibus & fructibus, feruentíque aqua elixis, ita
vt fit in eliciendo è ſuccida lana Oeſypo, à ſeplaſiarijs Hyſſopo
humida vocata, chriſma ſupernatans colligendo. Sed cũ maxi-
ma fiat viriũ populatio in huiuſmodi liquamẽtorũ parandi ra-
tione; malim ſanè hęc & ſimilia chyliſmata noſtro more eliqua-
re; quorũ etiam leuiſsima ſimili arte parata, priſcorũ imitatio-
ne & exemplo, Theophraſto de Cauſis plantarum & Dioſco-
ridi ſæpè memorata, longè pluris facienda, quàm penè omne
chaos, colicis, hydropicis & delicatioribus nocentiſſimum,
craſſæ Mineruæ ſiue ignorantiæ quotidianarum (quarum pu-
det & tædet) putidarum ſine arte, delectu & præparatione, pu-
ro ab impuro indiſtinctis & indiſcretis, compoſitionum, Sal-
gamariorum potiùs quàm nitidorum Pharmacopœorum, quæ
pleno copia cornu bobus & ſubulcis, tanquam veterinaria me-
dicamina, potiùs porrigenda & infundenda, tergimerdiſue cly-
ſteribus miſcenda, quàm hominibus debilioribus delicatiori-
búſue noſtrę ætatis exhibenda. Longè fœliciùs enim radicitus
tantilla mole, innocentiùs; leniter, blandè & ſtrenuè, roborã-
do

do, occludendo, farctáque recludendo aut reſerando, pro ratione ſimplicis medicamenti agunt antiquorum & noſtra chyliſmata; chronicorumque morborum cauſas radicitus euellunt & ſoluunt.

Huiuſmodi Chyliſmatum Succationúmue ſaluberrimarum, tam Botanicarum vegetatiuarum viuentiúmue, quam lacrymarum & Metallicorũ callentiſſimi ſunt politiores, peritiores, induſtriores, impigriores, indefeſsíque laboris ſagaciſſimi Medicamentarij Germani, quorum ſelectiora Pharmaca hodiè adeò increbuerunt; vt non immeritò Germanis multifariè primam laudem in nitidis Metallicis & Botanicis Succationibus Medicatis mereri dixerim; quamuis eos *Campi Pecora* vocitarit Sanctus ille Pater, prętuleritque ſuas *Cæli Volucres*, & genus æquoreum, ſiue *marinos Neptuni Piſces*. Meritò attamen multi quondam docti dixere *Scientias Artéſque liberales* Athenis oriundas, ex Latio *Alpes tranſuolaſſe*.

Huius Carpobalſami vnciæ octo, nobis vncias duas & ʒ. j. liquamenti præbuerunt.

Non eſt quòd Succationes huiuſmodi Priſcis indictas eſſe aliqui huius ætatis ciniflones ſordidè auri ſacrę famis æruſcatores inſatiabiles autument; qui ſummè gloriantur de nouo inuento chymico Theophraſti medicamine, quem tamen vix vnquam delibarunt aut ſummis deguſtarunt labris. Fateor equidem antiquos non perinde blanditiei, mollitiei & gulæ oblectamentis deditos fuiſſe, ac huius noſtræ ætatis homines, immodicis voluptatibus delitiſq; indulgentes; quibus ſanè hæc poſterior ſedula indefeſsíque laboris & difficilis ætas, duriorá-ue & fera tempora excogitarunt, meditata ſunt ſiue inuenerunt (facillimum enim eſt Priſcorum inuentis addere) molles mollicellis effœminatis corporibus, cuilibet genti ſuæ ex euporiſtis & indigenis plantis, aptiores, ſuauiores & iucundiores medicamentorum conficiendorum ſiue remediorum formulas: attamen haudquaquam Hippocraticis, Galenicis, Aeginetæ, Dioſcorideis, Priſcorumque ſummæ eruditionis & vtilitatis longo vſu & ratione comprobatis medicaminibus, præferenda

ferenda fortuita Chymica, ignaua, dubia, gloriosè & inaniter iactitata Theophrasticè malè parata remedia; spretis, valereiussis & neglectis artis theorematibus, anatomicis administrationibus, quas perperàm & iniquè carnificinas vocant aut statuunt; cùm tamen partium vsibus doctissimè à Galeno explanatis, tum maximè cognoscendis morbis imprimis necessarijs; sine quibus ars Medendi re ipsa manca est. Sed turpissima est impiorum & imperitorum consuetudo, vt ea (quorum re vera indigni sunt) improbent, quæ ob ingenij ruditatem, vecordiam & secordiam assequi nequeunt. Consultò itaque propter hos damnosissimos perditissimè auaros sycophantas, qui Medendi artem nobilissimam perdiderunt, nobis & amicis politiores Medicatas Succationes reseruamus, quibus tutò diúque vsi sumus: in quorum artificiosa parandi ratione vnumquodq; Simplex eget legitima, seplasiarijs pænè omnibus neglecta & ignota, præparatione & Succatione.

Quia in priscorum præstantissimis antidotis Opobalsami, Carpobalsami & Xylobalsami necessarius vsus; tribus eius plātæ partibus, earum inopia, tria succedanea est meditata posteritas, vt fusè in Aduersarijs diximus. Liquoris namque loco, nullum præstantius Opobalsamum veri Terebinthi latice: verno namq; tempore ramulorum pullulantia tenella Terebinthi effracta flagella, ipsoque etiam Narbonensi Nitiobrigum siue Linguagottico aut Monspeliensi agro instar Ficulneæ arboris lac stillant; quod conchis exceptum & asseruatum in limpidissimum, tenacem, resinosum laticem abit, qui dum recens est, id est in musto, vt Plinij verbis vtar, in laneam vestem susus, neque maculam faciens, neque si eluatur vestigium aut notam relinquens; sed vt dictum priùs, senescens tempore crassescit, tenuibus partibus absumptis: non abluitur nisi oui vitello addito, quo etiam ipsa Terebinthina diluitur, & facilius potabilis redditur, admixto vino albo tenui, vt tonsoribus politioribus & sagacioribus pharmacarijs notissimum. Qui Garyophyllorum, nucis Myristicæ aut Cinnamomi oleum huic liquori præferunt; suauitati & sapori plus quàm optatis facultatibus defe-

 runt;

runt; hæc namque tametſi cordi amica, eximióſque fundant liquores, tamen nec Dioſcoridi, aut Priſcis nota, nec venenis aut Theriacis comparata fuere.

Myriſticum oleum vnguinoſum, laxando & inquinando, nec foris vulneribus glutinandis quidquam Balſamo ſimile habet, nec ſtomachi vires colligendo idoneum eſt, quemadmodum nuces vnguinoſiores apud Plinium ſtomacho infenſiores. Quamobrem Rondeletius in cordis & ventriculi corroborantibus medicamentis immaturas, ſiccas, leues, auſteras, aliquantulum carioſas, aſtringentes nuces moſchatas, ponderoſis maturis & vnguinoſis præferebat; coquis, culinarijs blandimentis, gulæ oblectamentis & voluptatibus committens pingues aut præpingues; medicis autem bonæ tuendæ valetudini ſicciores, quia ventriculo iucundiores magíſque gratæ. Sed hic mos adeò inoleuit, vt palati ſtudium ingenium ſæpè fallat, valetudinis diſpendio. Exemplũ elucidius erit id quod modò ſubdam.

Iam triginta annis elapſis, cùm Briſtoliæ Angliæ, ciuitate celebri medicarer in Præfectura Somerſeti, duabus aut tribus milliaribus à *From-Seller* oppidulo, non procùl ab ædibus generoſiſſimorum equitum perpiæ memoriæ D. Iohannis Thyn, D. Ralf. Hoptoun, & Domini Iohannis Horneri, vocatus ad generoſam matronam prẹgnantem, cuius nomen non occurrit; quæ cum ſummo deſiderio auidè duodecim Nuces Moſchatas tanquam panem commanducaſſet, incidit in delirium, vel potiùs ebrietatem, non ſecus ac vini repletione, ob rapidos vapidóſque ſoporiferos cerebrum ferientes, & replentes vapores ſiue fumos; ſed poſt imperatam quietem & ſomnum copioſum, repellentibus capiti admotis, conualuit.

Mõſpelienſis ſchola nos olim docuit cum Rondeletio veram Myrrham liquidam, quam Stacten vocant, id eſt, Myrrhæ pinguiſſimæ liquamentum, Opobalſami ſuccedaneum eſſe: & Xylobalſami, Zedoariæ radicem, cum eiuſdem temperamenti, dotis & facultatis, tum ſummę vtilitatis ad viſcerum robur & probatiſſimi antidoti aduerſus venenatam & peſtiferam luem, ſit.

Car-

Carpobalſami loco Terebinthi Cyprei vel Petrei fructu vtuntur nonnulli; quemadmodum pro Xylobalſamo, Terebinthi aut Lentiſci ſurculis. *Xylobalſamum* quod oſtentant officinæ, graciles Lentiſcini ſurculi ſunt, plerunque carioſi, tamen neutiquam contemnendæ vtilitatis, modò recentes ſint. Rondeletius credidit Terebinthi ramulos eſſe, qui etſi craſſiores ſint, neque tenui & capillacea coma vt Plinius ait; nihilominus nequaquam reijciendi ob efficaciam, aromaticam & reſinoſam gratiam, ad fructum Terebinthi accedentem. *Xylobalſamum officinarum.*

Pro Opobalſamo oleum Nucis Myriſticæ & pro Carpobalſamo Nucem ipſam Myriſticam ſubſtituit Patauinum Collegium Medicum, vt clariſſimus & excellentiſſimus Doctor Marcus Oddus ſuis doctiſſimis Meditationibus in Theriacam & Methridatium teſtatur, quarum primus copiam, abſolutis hiſce noſtris de Balſamo lucubrationibus, nobis fecit peritiſſimus D. D. Guilielmus Paddeus Anglus, ex inclyto Londinenſi Medicorum Collegio. Satis quidem arridentnuces Myriſticæ, modò vt paulò antè diximus, immaturæ ſint. Paddye

De Stacte ſiue Myrrha liquida alibi ſuo loco dicemus. Nihil aut perexigui incommodi eſt, ſi in paranda Theriaca & alijs antidotis mortaria & piſtilla oleo è nucibus Myriſticis expreſſo, aut Myrrhę ſuccatione ſiue liquamento illinantur; præferrem tamen Stacten quæ multifariè, omniq; ſui ferè parte proximè Opobalſami dotibus reſpondet. Myrrha priſcis & neotoricis ſarcoticis annumeratur; ideò caloris gradus non verendus. Ocularibus miſcetur medicamentis vti Opobalſamum, & Dioſcorides oculorum vlcera complere, albugines tollere, caliginem diſcutere & ſcabritiem læuigare ait. His omnibus tamen omnes Mollis partes præferendæ. *Opobalſami ſuccedaneum.*

Plura de Balſamo require, apud Proſperum Alpinum in ſuo Græcorum & Iudaico doctiſſimo de Balſamo dialogo, & de Aegyptiorum Medicina & Plantis Aegyptijs libro, quem debeo præclaro ſeni Domino Richardo Garth in Diplomatica Curia ſiue Cancellaria Angliæ vni Clericorum Iuridicialis Sacculi (vulgò *pety-Bag* aut paruæ Bagæ) hiſtoriæ plan- Garth

tarum tàm Indicarum, quàm inquilinarum indigenarumq;, & Naturæ miraculorum myſteriorúmque admiratori ſummo & ſtudioſiſſimo. Non modò nomen & gloriam Proſper Alpinus his ſuis euigilatis elucubrationibus (cui hæc noſtra ætas multùm debet) ſibi aſciuit; verùm etiam laudem perpetuam, haſce eaſdem herbas & vniuerſam Materiam Medicam, in celeberrima ſchola & horto Medico Patauino edocendo, apud poſteros relinquet.

Seſquipaginæ aut duabus paginis vacuis libuit icone & oratione Zingiber poſteritati indicare, quò eius inſpectione Stirpium admiratores oblectentur. Aliquot inſuper herbarum peregrinarum & nouarum vobis largirer deſcriptiones, ſed cùm icones promptè ad manum non fuerint; viſum fuit procraſtinare & in aliam differre diem. His noſtris lucubrationibus interea benigniſſimis & beneuolentiſſimis lectoribus frui licebit, quos impendiò oramus vt dignentur eas perpendere, fouere, augere, & vbi lapſi ſumus emendare & amicè monere: non enim gloriam venamur, ſed ſolùm inuidiam deprecamur; propulſis Zoilorum, Empiricorum, impoſtorum eorundémq; farinæ popinonum detractionibus, in quos conuenit hoc celebre dictum.

Vos eſtis, Deus eſt teſtis, teterrima peſtis:
Non ſolùm fuga Cacodæmonum, ſed & piorum.

Hæc loquor expertus, non quòd odio habeo huiuſmodi monſtruoſos homines lucifugos & maledicos, qui ſtabulant, dominantur & regna tenent in Belgio & alibi paſſim; quos Deus mortalibus forſitan tanquam flagellum reliquit etiam Hippocratis & Galeni æuo: Sed eorum contumelias perpetuò quis pius perferret?

Ex

ZINGIBERIS *legitimæ effigies.*



EX argutè fallacibus picturis aut iconibus (etſi à probis amiciſſimiſque viris munere miſſis) oratione plantas delineare, quàm dubium ſit, norunt harum peritiores. Annis triginta & pluribus elapſis, antequam noſtra Stirpium aduerſaria in lucẽ prodirẽt, Antuerpia huc Londinũ ad me miſit Zingiberis effigiẽ Guilielmus Dreiſch piæ memoriæ, vt petitioni meæ ſatisfaceret, quam legitimã eſſe aſſerebat; facilè enim fidem illi adhibui, quia ſciebam Zingiberis radices adeò recentes, virides & ſuccò adhuc prægnantes Antuerpiam ſæpè ex India deuehi, ac proinde Zingiber legitimum in horto prædicti boni viri pullulaſſe: ſed paucis pòſt annis, cùm pictura mihi ſuſpecta foret, perſpicuè percepi Zingiberis iconem munere miſſam commentitiam & effigiatam è quodam veteri Botanico Germano

mano esse. Dolum hunc cùm diutiùs latere noluerim(quoniam necdum elapso anno, novus variarum rerum, rariorúmque Indicarum Stirpium author Ioannes Hugo Linscotus Batauus, non nisi illegitimam Zingiberis effigiem dederit,qui tamen verè inter nonnulla aromata Zingiber describit) posteritatem ab obliuione vindicaturus huius commendatissimæ plantæ, dedi operam vt etiam insereretur in perquam sedulis D.Ioannis Gerardi lucubrationibus Anglicis. Detegimus quippe hãc elapsis annis Flisselingæ Zelandorum in horto Illustrissimi Principis Mauritij à Nassau apud egregium virum Dominum Adrianum *Meulenaere*, qui plures eius plantas nobis communicauit, quas alebat solo leui, lateritijs fragmentis rubris, quo gaudet, tenuibus permixto. Laxauit autem & emisit ibidẽ primas suas, non ante, circa finem æstatis pullulationes (quia è longinqua prouincia delata, diuque è terra euulsa fuerat) folijs & calamo sesquispithamæo aut pedali, nouellam siue nuper enatam Arundinẽ vallatoriam præ se ferentes. Natiuo solo non translatæ radices, caules tripedales edere produntur. Eodem anno 1595. persimilis aut eiusdem Zingiberis radices alebant Flisselingæ amicissimi viri Reinerus *Vander Putte* & Thomas *de la Fosse* Middelburgi Zelandorum Pharmacopœi non modò peritissimi, sed pharmaco parando fidè fidelissimi, quas ob soli & cœli inclementiam perijsse opinor.

Gerarde.

His fruere Lector, dum plura meditamur,gratuitò breui Piperis rabidi caudati Amomum crediti, descripti Aduersariorum pagina 445. iconem siue vuam vobis impertiturus.

Menda nonnulla obiter animaduersa.

In disticho eiusdem Hering, linea 4. lege *absorbens.*
Item pagina. 2.lin.1 lege *Stirpium Aduersarijs.*
Pag.5.lin.22. lege *fructus.*
Pag.7.lin.5. lege *ipsi*, lin.19. *odoratum*. lin.23. *puris & sedimenti:*
Pag.8.lin.24. lege *leuigatum, subactum.*
Pag.32. lin.11. lege *diuisa, contigua, &c. in sæm. genere.*

Hexaſtichon

In laudem & honorem Cl. & celeberrimi
viri D. D. Matthiæ L'Obell.

Balſama quæ quondã ſolus videt accola Nili,
Vnde Britanne tuo ſunt patefacta ſolo?
An Natura vices mutauit, & inde recedens
Contulit ad ſedes dona benigna tuas?
Erras. Lobelio debetur gloria, qui quod
Externum fuerat, nunc facit indigenum.

Hen: Ellenberger, Chattus. F.

FINIS.